



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

XX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

DE S. PHILIBERTO ABBATE GEMMET.

785

monia dicitur, annos natus trigintatres, ardentium vi februm correptus, anno salutis 1297. 14. Calendas Septembris feliciter migravit ad Dominū. Corpus eius Massiliæ humatum est in ecclesia fratrum Minorum: vbi, mirificante Domino sanctum suū, cæcis, surdis, claudis, mutis, paralyticis, hydropicis, cæterisque morbidis præstantur remedia ab eo, qui solus facit mirabilia, viuens & regnans per infinita secula, Amen.

Abit è vita in iuuenili ætate. Miracula ad sepulcrū eius Psal. 71.

VITA SANCTI PHILIBERTI ABBATIS, SCRIPTA AD ABBATEM COSCHINVM ET FRATRES Gemmeticensis cœnobij. Stylum mutauit F. Laur. Surius.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS.



VM prisca Patrum gesta commemoramus, ad nosmetipsos nos reuocamus, & velut in speculo nostros contemplamur vultus. Vt verò sitiens potum, & famelicus panem appetit: ita ego diuinam imploro opem, vt præstet mihi sincerā animi deuotionem, & oris facundiam: vt nè temeritati adscribatur id, quod ego patris spiritalis Coschini Abbatis, fratrumque omnium Gemmetici monasterij iussu & voluntate suscepi, cupientium mea opera habere monumentum aliquod rerum à patre nostro Philiberto gestarum. Quibus vt morem gererem, pauca excerpſi è multis, quæ ad animarum ædificationem faciant: vt nec lectoribus oneri, nec auditoribus fastidio sint, satisfiatque piorum precibus, quandoquidem fortis est vt mors dilectio. Sufficiant autem, quæſo, pauca è pluribus, conuenienter illi sententiæ: Cui pauca non sufficiunt, multa nil proderunt.

Cant. 8.

VITAE HISTORIA.



ITAQVE beatus Philibertus, Helisano territorio ortus, seculari literaturæ minimè rudis, pro gentis illius more planè strenuus, in vico Iulij est educatus, ea potissimum ratione, quòd patrem eius Philibadem, fauore regio laica functionis ministerio absolutum, eius loci ciues sibi Episcopum expetiissent. Qui cum iam pridem cognouisset adolescentem Philibertum bona ac liberali esse indole, eum Regi Dagoberto cõmendauit, quem inter Francorum Reges constat fuisse fortissimum. At verò Philibertus nobilitate conspicuus, in Audoëni optimatis familiaritatē admisſus est: qui sanè, aureo licet balteo cinctus, Deum impensè amabat, & inter alios aulae proceres cum primis illustris habebatur: clarissimisque vitæ meritis insignis, Rothomagensis ecclesiæ factus Episcopus, virtutum signis modò egregiè coruscant in terris.

Augusti 10. Cap. 1.

Venit ad aulam Dagoberti regis.

Audoënus postea Rothomagensis Episcopus.

Vbi verò Philibertus adolescens vicesimum ætatis expleuit annum, diuina præcepta audiens, apud se deliberauit Christi fieri discipulus, facultatibus omnibus derelictis. Nec tamen suo voluit viuere arbitrato, sciens non debere illum præesse alijs, qui subesse non didicerit: nec à subditis exigere obedientiam, qui eam superioribus non exhibuerit. Dedit ergò operam, vt alicubi reperire posset Dei seruum, eximia religione probatissimum. Comperit autem eiusmodi esse Agliū, Rasbacensis cœnobij præfectum: quod Cœnobium sanctus Audoënus cum socijs quibusdā in suo fundo condiderat, & hunc Aglium virum Dei, è Luxouienti monasterio accitum, huic suo cœnobio Patrem constituerat. Rebus igitur omnibus, quas habere poterat, in pauperes erogatis, ita vt nihil quicquam inde amicis aut parentibus impartiret, sed haud secus, atque regia negocia ipsi credita, cautè & religiosè dispensaret, ad cœnobium Rasbacense se contulit: atque illic à beato Aglio amanter exceptus, capitis comam deposuit, Christi que iugum suaue & onus leue sustulit, atque adè in omni religione & sanctitate excreuit, vt etiam perfecti viri in eo cernerent, quod meritò imitentur.

Cap. 2.

Aglius primus Abbas Rasbacensis.

Fit monachus Philibertus apud Rasbacenses.

Cap. 3.

Iussus autem in prima mensa sedere, omnibus ministrare studuit, vt ipsa eius refectio, in fraterna seruitia & officia mutaretur: absolutoque prandio vel cœna, à mensa minimè saturi abiret. Cumque antiquus hostis, eius inuidens abstinentiæ, pulsaret animum eius, vt largioribus epulis indulgeret, volente Deo, fraus eius detecta est,

Abstinenti-
am eius sua
fraude dia-
bolus niti-
tur impedi-
re.

nequissimo demone illi in somnis ostenso. Cum enim nocte quadam cibo refe-
ctus esset, improbus ille ventrem eius palps: Modò, inquit, híc benè, modò híc
benè. Tum verò Christi miles agnoscens ignita hostis iacula, Cruce se consignat,
statimque repetere pristinum abstinendi rigorem, & diuinum aduersus fallacis da-
monis machinas auxilium implorare. Nocturnis horis illo ad ecclesiam abeunte,
tortuosus coluber tribus modis eum voluit impedire. Prima nocte, sumpta vrsi spe-
cie, intrà ecclesiam eum terrere cum vellet, & alia nocte candelabri ferro confode-
re niteretur, atque tertia nocte transversim in ecclesiæ foribus stans, eum aditu arce-
re conaretur, cuncta hæc machinamenta virtute Christi Philibertus dissoluit, Cru-
cis expresso signo.

Virtus signi
Cru-
cis.

Cap. 4.
Creatur
Abbas.

Postquam autem beatus Aglius obdormiuit in Domino, fratrum vnanimi consen-
su Philibertus in eius locū subrogatus est. Quem tum videre licebat humilitate pol-
lentem, hospitalitatis studiosum, abstinentiæ deditum, prudentia eximium, charita-
te feruentem, zelo Dei inflammatum, domum ipsi creditam strenuè gubernantem,
nullius personam accipientem, vitia reperta radicibus extirpantem. At verò quidam
è fratribus, maligno spiritu eos impellente, excitata rebellione aduersus sanctum vi-
rum, eum non dubitarunt ex ecclesia extrahere. Sed vltix manus præpotentis Dei,
non passa est impunè id abire. Vnus enim ex eis, fulminis ictu interiit, alius instar Ar-
rij in sterquilinum viscera effudit, indignamque vitam digna morte finiuit. Quæ res
cæteris metum attulit, ità vt veniam ab illo petentes, in pristinum honoris gradum
eum reuocarent, & deinceps amanter ei obedirent.

Vltio diui-
nam rebel-
les mona-
chos.

Cap. 5.
Multa per-
lustrat mo-
nasteria.

Sed quia perfecti viri semper ad meliora contendunt, sacerdos Christi sanctorum
lustravit cœnobia, vt posset aliquid haurire emolumenti ex illorum perfecta sancti-
tate. Itaque inuisit Luxoniense, Bobiense, & alia S. Columbani institutum comple-
xa monasteria: nec ea duntaxat, sed quæcunque in Gallia, Italia, Burgundia extabat,
solerti animi industria, instar apis prudentissimæ, optima quæque colligēs viuendi in-
stitutum & exempla. Legebat studiosè Basilij præclaras constitutiones, Macarij regulâ,
Benedicti decreta, Columbani instituta sanctissima: atque ità onustus virtutum aro-
matibus, sectatoribus suis egregia de se exempla præbebat.

Cap. 6.

Codic Gem-
metici cœ-
nobiū.

Quando autem visum fuit omnipotenti Deo, lucernam tantam ponere super can-
delabrum, vt longè lateque eius se lumen & virtutum radij diffunderet, eam illi vo-
luntatem adspirauit, vt sua opera monasterium extruendum curaret. Itaque à Rege
Francorum Clouneo, & eius coniuge Balilde locum in pago Rothomagensi sup-
plici prece obtinuit, quem antiquitus Gemmeticum appellabant, atq; illic egregium
cœnobiū edificauit. Congruè sanè locus ille Gemeticus est dictus, quippè qui instar
gemmarū, multiuario sit decore conspicuus. Videas illic arborū comas syluestrium,
multigenos arborum fructus, solum fertile, prara virentia, horrorū flores sua uolent-
res, botris grauidas vites, humum vndique cinctam aquis, pascua pecorum vberima,
loca venationi apta, autum cantu circunsonantia. Sequana fluuius illic cernitur late
ambiens, & deinde suo pergens cursu, vno duntaxat commeantibus aditu relicto. Ibi
mare nunc increfcens eructat: nūc in sinum suum reuolutum, nauium fert compen-
dia, commercia plurimorū. Nihil illie deest: quicquid vehiculis pedestribus & eque-
stribus, plaustris & ratibus subministratur, abundè suppetit. Illic castrū condidit an-
tiqui: ibi stant in acie illustria castra Dei: ibi præ desiderio paradisi suspirantes gemunt,
quibus postea opus non erit in flammis vlticibus nihil profuturos edere gemitus. Ibi
denique almus sacerdos Philibertus multiplici est laude & prædicatione effereendus,
qui instar Patriarchæ Iacob in animabus septuaginta demigrauit in hanc cremem, ad-
dito grege septemplici propter septiformem gratiam spiritus sancti. Ibi enim eius pru-
dentia construxit mœnia quadrata, turrata mole surgentia, claustra excipendis ad-
uentantibus mirè opportuna. Intus domus alma fulget, habitatoribus digna. Ab
Euro surgit ecclesia Crucis effigie, cuius verticem obtinet beatissima virgo Maria.
Altare est ante faciem lectuli cum dente sanctissimi patris Philiberti, pictum gem-
marum luminibus, auro argentoque comptum. Ab vtroque latere Iohannis & Co-
lumbani aræ dant gloriam Deo. Adhærent verò à Borea Dionysij martyris & Ger-
mani confessoris adicula. In dextra domus parte sacellum nobile extat S. Petri, à la-
tere habens S. Martini oratorium. Ad Austrum est sancti viri cellula, è petris habens
margines. Saxis cinguntur claustra camerata. Is decor cunctorum animos oblectans,
cum inundantibus aquis geminus vergit ad Austrum. Habet autem ipsa domus in

Situs amœ-
nuscus lo-
ci.

Gen. 46.

lon-

longum pedes dacentos nonaginta: in latum, quinquaginta. Singulis legere volentibus lucem transmittunt fenestra vitrea. Subtus habet geminas aedes: alteras condendis vinis, alteras cibis apparandis accommodatas.

In hunc locum conueniunt, Deo dignè seruire cupientes, nihil sibi ceu proprium vendicantes, nullo compendio indigentes. Sperantes enim in Domino non deficient omni bono. vereque completur in eis illud scripture diuinæ: Pax multa diligentibus legem tuam Domine, & non est illis scandalum. Mira illic fulget charitas, multa abstinencia, summa humilitas, præcipua castitas. Habent illic & suum è marinis belluis solarium vel compendium: quod mirum sanè est, & à seculo inauditum. Vncis enim, retibusq; & ratibus capiunt pisces maris, longos pedes quinquaginta: ex quibus non solum escas sibi parant fratres, sed etiam pinguedine illorum fouent lucernas. Faciunt hoc merita sancti Philiberti, & multorum aliorum illic quiescentium sanctorum fratrum: qui fideliter Domino seruiuerunt, & tempore pacis cum Christo Cruci affixi sua voluntate, martyrium obièrunt, & cum Christo corpore mortui, expectant iudicii diem, magnorum certaminum coronas recepturi. Et hæc quidè de situ loci breuiter diximus: nunc ad gestorum ordinem reuertamur.

Cum ergò vir Domini eo in loco præclaris meritis & virtutibus augetur, & quicquid sibi abstinencia studio subtraheret, in pauperes & hospites conferret: quodam die laborantibus fratribus panis defuit. Tum verò ille confirmans eorum animos, aiebat scriptum esse & promissum, non afflicturnm Dominum fame animam iusti. Ecce autem repente adest Francus quidam, septem panes & sex farina sata adferens, idque ea hora, qua corpora reficere cogebat necessitas. Ea re corroborati fratres, & sibi ipsis indè satis accepere alimonia, & aduentantibus hilariter obtulerunt. Porrò deinceps nunquam eius loci habitatoribus frumenta necessaria defuere. Volebat vir Dei cuiusdam negocij expediendi causa (erat autem illud monasterij sui negocium) mittere ad Ebroinum Francorum principem: sed cum eum comperisset acri febre prostratum, in virtute Christi negocium obedientia illi demandans, solo verbo ait ad eum: Abi, & reuertere, & desine hæc febre laborare. Mox ille surgit incolumis, & sine mora exequitur, quod erat iussus à sancto viro: cuius sermo & causam obtinuit, quam volebat, ab Ebroino, & morbum abegit à fratre.

Inciderat quandoq; discordia quedam, cuius causa properè Lutetiam se cõtulit. Sed malignus dæmon, qui, vt supra diximus, semper ei infestus esse conabatur, eius felicitibus actibus inuidens, quòd lites proaces fereret, vnum è ciuibus incitauit, vt chirothecas beati viri surriperet. Ablatis igitur chirothecis, cum eas postero die vir sanctus non inueniret, suo more sedato animo id tulit. Sed infelix ille fur percussus à Domino, magis cœpit clamare vocibus se ardere, nec quicquam aliud eloqui potuit, sed extensis manibus palàm omnibus indicabat sinum suum, in quem chirothecas abdiderat: atque paulò post vita functus est. Homines autem eius ciuitatis secuti virum Dei, ad monasterium eius chirothecas apportarunt.

Quadam nocte in basilica S. Petri illo vigilante & psallente, quidam monachus intrinsecus vigilans, subito vidit oculos eius instar lampadarum spiritus sancti gratia splendentes. Habebat verò etiam gratiam lachrymarum, ita vt in preces incumbentis oculi, repente multo lachrymarum imbre manarent: atque summoperè id illi curæ erat, vt non antè ad sumendum cibum accederet, quàm illius pectus compunctionis gratia Christus visitasset.

Quidam monachus ad extrema perductus, loquendi facultatem omnem amisit. Ingressus ad eum vir beatus, blanditer hortabatur, vt si quod haberet occultum facinus, cuius eum nondum pœnituisset, quodque pœnitentia non expiasset, manum ipsius stringeret. Quod ubi ille fecit, vir Dei in beatissime Mariæ virginis ecclesiam ingressus, Dominum deprecabatur, vt ægrotò restitueret loquelam, nè malus dæmon animam illius propter absconditum peccatum in tartarum deportaret. Surgenti indè illi ab oratione, frater quidam nunciat posse loqui fratrem illum, cupereque sua peccata confiteri. Itaque confessus est, & accepta pœnitentia, animam reddidit, vt neque vir sanctus de Domini misericordia diffideret, nec æger in desperatione à corpore exiret.

Die quodam fratribus fruges metentibus, & manipulis sparsim per agrum iacentibus, sua orta tempestas est, & furentes extitere ventorum turbines. Nè igitur suo labore frustrarentur fratres, extensis brachijs vir sanctus clamauit ad Dominum Iesum. Vt autè ab oratione se exerit, caelesti virtute horrida tempestas in duas distracta partes, prostrigata est.

Cap. 7.

Psal. 33.

Psal. 118.

Nota de marinis piscibus.

Cap. 8.

Prou. 10.

Panis fratribus eocarentibus præfer spem offertur.

Verbo curat febricitantem.

Cap. 9.

Pœnas furis improbi.

Cap. 10.

Gratia lachrymarum in S. Philiberto.

Cap. 11.

Fratri multo redditur loquela.

Cap. 12.

Sedat tempestatem.

est. Atque ita reddita serenitate, monachi Deo laudes gratesque egerunt.

Cap. 13.

Dies erat Dominicus, & vir Dei confecto itinere festinabat ad cœnobium, ut solennitatem celebraret. Vbi ad Sequanam ventum est, cum fratribus ingressus est in nauiculam, equis in pascuis derelictis. Porrò quidam Regis forestarius conspecto equo, cui vir sanctus infederat, illum abegit. Postquam autem cubitum iuit, repente exurgens, videt totam domum suam flammis exitialibus conflagrare. Cum verò vxor eius flammam non videret, & eum anxium cerneret, subito etiã ipsa vidit, quod prius non viderat, cœpitque percontari, num quid e rebus seruorum Dei per fraudem sibi vendicasset. Illo rem, ut erat, exponente, ambo pariter nullam sibi dedere requiem, donec & equus esset redditus, & accepta pœnitentia veniam impetrassent. Monachus quidam, cui erat pro more ægrotorum cura demandata, cum aduersa laborare valetudine videretur, vir Dei, vbi id rescivit, ait ad eum: Habeto fidem, & ægrotis seruiens, liber esto ab hac infirmitate. Simulque audiuit iussione patris monachus, morbo absolutus, ad fratrum malè habentium ministeria se contulit.

Cap. 14.

Nauiculam precibus à Deo obtinet.

Proficiscebatur quandoque vir sanctus apud Isaram fluuium, & cum Romanorum attigisset portum, non inuento illic nauigio, ad supplices preces se prostravit. Surgens inde à terra, cernit nauiculam à Domino missam. In eam cum multa Dei laude ingressus, cum socijs flumen transmisit. Quædam religiosa femina in villa Pinuerno virum Dei in suo excepit domicilio, orans, ut in cellarium ingressus, vas vinarium benediceret: simulque cibo sumpto, ea nocte apud ipsam permaneret. Assensit vir beatus, & pro eius honore cunctis eius domus tum hospitibus, tum habitatoribus, largiter ex illo vino bibentibus, postquam maturè ille inde recessit, femina in cellarium descendit, idemque vas ad eum inuenit plenum vino, ut nihil inde haustum fuisse videretur. Cellarius viri Dei è pustula adeò laborabat, ut iam mori cerneretur. Venit ad eum vir sanctus, benedictionem ei impertit, vulnus ilicò in seipso tabescit, & citra vlla medicæ artis fomenta, homo totus fit sanus. Nauigante illo in Sequana, ex immodica tempestate summum nauibus periculum imminere videbatur. Orat vir Dei, & ecce, cæteris nauibus remanentibus, ea sola, quæ illum vehebat, ad litus appellitur.

Cap. 15.

Multri nobiles fiunt monachi.

Cœdit monasterium virginum.

Solebat vir pius ob animarum curandam salutem, fratres è monasterio ablegare, ut suis exhortationibus homines instituerent. Itaque confluxebant ad eum viri nobiles & potentes, propriaque calcata voluntate, Christi seruitio se mancipabant. Cumque in monasterio fratrum numerus increuisset, aliud cœnobium condidit, quod Paulianum vocant, decimo milliario à Gemmetico: atque in eo habitare voluit sanctas feminas, quibus præfecit matrem prudentissimam, illustri familia ortam Austrebertam. Multa quoque alia eius exemplo constructa sunt monasteria in Neustria. Longum est enarrare per ordinem singula, quantumque eius opinio creuerit, vti etiam Abbates alij sua monasteria relinquerent, vel probatissimos monachos suos ad eum ablegarent, ut multo tempore apud eum degentes, eius vitam & conuersationem discerent, sicque ad suos reuersi, rectius illis consulere possent. Eos omnes vir sanctus & in fide vera probè instituebat vel confirmabat, & ut mutuam sinceramque inter se charitatem retinerent, admonebat. Multa tum ei pecunia à Rege & fidelibus offerebatur: cuius ille decimam partem inde septiès detraxit. Cumque id anno integro fecisset, semper plus ei pecuniæ accessisse comperit, quam ipse inde abstraxisset. Eas verò decimas captiuis redimendis & alendis pauperibus assignabat, idque adeò liberaliter, ut etiam monachos suos cum onustis nauibus in regiones transmarinas mitteret, qui illic captiuorum greges redimerent. Si qua etiam pro fratrum vtilitate vellet opera fieri, plus mercedis solebat dare, quam seculares homines consueuissent. Atque ita latante vicino populo, iustos labores dignis compensabat præmijs.

Cap. 16.

Ebroinus taxatur.

Eum seuerè corripit Philibertus.

Porrò autè cum pestifer ille Ebroinus, qui ob nimiam crudelitatem à Francorum gente Palatino fuerat honore nudatus, & in Luxouienfium cœnobio ronsus, postea vilis apostata factus, malignitatis eum impellente spiritu, multa rabie ferri cœpisset in nobiles Christi sacerdotes & Francos, multisque ei consentientibus, contra Dei mandatum pristinum recuperasset honorem, S. Philibertus ad eum profectus, apostatam eum appellauit, asserens, nullum hominem Christianum cum ipso communicare debere. Fecit hoc vir Dei, quòd speraret se ferro trucidatum, ad martyrij palmam peruenturum. Sed Dominus eum multorum profectui seruauit, qui eius opera vocandicrant ad regna cælorum.

Cap. 17.

At verò diabolus instar rapacis lupi sauiens, & animarum greges immanissimis dentibus

tibus facere volens, quosdam in beatum virum Rothomagenses clericos inflammavit: qui ut inter eum & beatum Audoënum Rothomagensis præfulem discordiam fererent, apud illum Episcopum virum Dei falsò detulerunt, tantumque efficere potuerunt, ut Philibertum, quem antea præcipue charum habuerat, iusserit in custodiam duci. Sed ecce dum vir Dei in illo ergastulo psalmos Dauidicos concinit, vespertiones, qui illic magno numero congregati erant, diuina virtute suauissimum de se reddunt odorem. Indè è carcere literis Audoëni dimissus, ad Ansoaldum virum nobilem, Pictaunorum Episcopum, monasterij construendi causa profectus est, quod eorum hominum, qui eius prædicationibus conuertebantur, multitudinem locus vnus capere non posset.

Per id tempus seculari potentia plus satis florebat Ansoaldus. Itaque vir Dei illum se cretò reprehendit, multaque ei futura prædixit, quæ postea rei probauit euentus. Cernens autè electus Dei sacerdos Ansoaldus virum beatum etiam prophetico pollere spiritu, & eximia sanctitate conspicuum esse, totum se illius consilij commendauit, & sub eius religionis disciplinam, pontificiam cepit potentiam inclinare. Cumque cum vellet se cum in vrbe retinere, ille verò semper eremi vastitatem appeteret, in maris insula Herio cœnobium construxerunt, Ansoaldus ope & liberalitate, Philbertus religione, opere, doctrina & monachorum frequentia. In quem locum de Gemmetico fauella commigrarunt cum animarum examine: atque eundem locum Ansoaldus vir Apostolicus, magnis muneribus ditauit ex rebus proprijs, facta etiam villarum commutatione cum ecclesia Pictaunensi.

Interea cum S. Philbertus nec cum Ebroino communionem iungere, nec in Neustria redire vellet, sanctusque Audoënus loco illius alium vellet constituere Abbatem, sed monachi fortissimi, absque permissu rectoris sui, nec minis & terroribus, nec blanditijs possent ad consentiendum permoueri ut alium Abbatem admitterent, & fidem Philiberto datam infringere: Crodobertus miser homunculus, cuius filium olim in seculo Philbertus è sacro fonte susceperat, qui que postea factus monachus, ei obedientiam promiserat: contra iustitiæ præscriptum, eius monasterij regendi curam suscepit. Sed eodem die diuinitus percussus, tanta doloris acerbitate afflictus est, ut ex eius viuientis corpore ossa exciderent, & miserabilem vitam miserrima morte finiret. Succedens autem ei ex beati Audoëni voluntate Ragentrannus Archidiaconus, Abrincatinæ ecclesiæ est præfectus: atque eodem tempore Ebroinus apostata interfectus est. Tum verò sanctus spiritus beati Audoëni peccata sua charitate inflammans, id effecit, ut is legatos suos mitteret ad Philibertum, qui eum hortarentur redire, ut mutua inter ipsos posset concordia fari. Ità ergò recuperauit Philibertus cœnobium suum: gratulante Neustria vniuersa præsentia tanti viri, & monachorum agmine obuiam illi procedente cum laudibus & sacris reliquijs, eumque intrà suum monasterium reducente. Cum autem duo illi eximij sacerdotes, Audoënus & Philbertus, in mutuos venissent conspectus, veniam à se inuicem precabantur, colla manusque vicissim osculabantur, & tanto inter se amoris ardore copulati sunt, ut nulla vnquam postea inter ipsos dissensio intercesserit. Octauus tum erat annus, quod à suo monasterio abfuerat, iamque noni anni initia agebantur: quod quidem ita fore ipse antea prædixerat. Nam cum infelix quidam Diaconus monasterij Crucem furto abstulisset, idque demum noni diei initio fuisset deprehensum, vir Dei quibusdam secretò ait, rot annis monasterium illud pastore cariturum, quot diebus Crucem amisisset.

Vt autem firma inter Audoënum & ipsum charitas permaneret, conuenit inter eos, ut vbiunque visum esset, Philbertus degeret, atque alijs suis monasterijs rectores præficeret, quandoquidem longo interuallo alia ab alijs distabant. Manente autem eo in Gemmetico cœnobio, Ansoaldus præsul eius inuisendi causa eò aduenit. Illis que pariter confedentibus nuncius allatus est, quendam monachum à maligno spiritu vexari. Cumque simul abiissent ad eam domum, in qua eger iacebat, & pro eo Dominum orassent, mox fugit satan, & homo redijt ad sanitatem.

Eodem tempore Vuarratto palatij princeps, in Caltino territorio oppidum donauit S. Philiberto, ut in eo virginum monasterium construeret. Villare id appellant: vbi hodieque viget sacra religio. Vir Dei profectus Pictaunium, cum multo gaudio ab Ansoaldo Episcopo exceptus est: abiitque ad Quinciacum monasterium, egregio constructum loco: quod monasterium monachis ille impleuit, cum prius veteres indè eliminasset errores: atque illic Christus per seruos suos assidue laudatur. Voluit autem, id alijs consulentibus, Aichadrum, virum sanè idoneum

Falsò delatus, ducitur in carcerem

Cap. 18.
Multa futura prædixit.

Monasterij in Herio insula.

Cap. 19.

Horrenda vindicta in usurpatore functionis eius.

Pollet spiritu prophetico.

Cap. 20.

Dæmon à fratre depellitur.
Cap. 21.

Quinciacum monasterium.

idoneum & electum discipulum suum, Gemmetici monasterij administrationem suo loco suscipere. Etsi autem fratres dolerent se desitutos patris Philiberti presentia corporali, tamen eius per gratiam presentis voluntati obtemperantes, Aichadro obedientiam promiserunt.

Cap. 22.

Ad eos visitandos vir Dei Philibertus veniens, sedulo hortabatur, vt semper religionem opere seruarent. Deinde commendans eos Domino, cum eis esset benedicatus, in insulam Herio est reuersus: Quinciaco autem monasterio vnum e suis monachis preposuit. Manente autem eo in insula, quidam frater acerrimo dentium dolore cruciabatur: cui, ex fide eam petenti, oblata est aqua, qua beati viri pedes abluti erant: qua simulatque locum dolentem attigit, repente dirus ille dolor, Christi virtute profligatus, abscessit.

Vide quid præstet Deus Sanctis suis.

Quidam frater liberatur à febris.

Crucis signum magna vis.

Frater quidam eodem loco febre afflictus, ad sancti patris mensam accessit. Cumque vir Dei paululum olei cum panis fragmine ei porrexisset, adiuncto præcepto ne deinceps eo modo laboraret: vbi ille panis oleatam buccellam comedit, euestigio sensus diuinitus curatum. Alius quoque frater, dum in culinæ ministerio sedulo versatur, casu corruit, & brachio e sua iunctura moto, cum dolore surgit: & iam penè deficiens, aduenientem virum Dei orat, vt brachij afflictum locum Cruce consignet. Ille pietate motus, sub casula, qua erat indutus, signum Crucis contra brachium agri erimit, & dolore abeunte, brachium restituitur.

Cap. 23.

Ambulanti aliquando in monasterio viro Dei, cellarius monasterij Sidonius, indicauit ei non suppetere ipsis oleum, quo posset foueri lumen, ex more in ecclesia ardens. Interrogatus autem, num vel parum aliquid superfit, respondit non nisi olei libram dimidiam restare, quam in hospitum & ipsius vsum seruasset. Iubet ergo vir sanctus, vt id olei mittat in lampades, fore promittens, vt mox accipiat tantam olei copiam, quæ toto anno sufficiat. Inde in vesperam inclinante die, nuncius venit à portu maris, indicans ab vrbe Burdegalensi adesse nauim, quæ habeat quadraginta olei modios, ab amicis eius viro Dei missos. Atque ita cum prophetiæ spiritu fecundauit eum Deus oleo lætitiæ præ consortibus eius. Alio quoque tempore cum eiusmodi liquore lucernæ fratrum indigerent, beato viro Dominum instanter orante, vt ipsius munere fratrum inopia suppleretur: manè annunciauit ei monachus, mare grandem piscem mortuum eiecisse in litus. Ex illo pisce fratres triginta modios pinguedinis ad lucernas fouendas extraxere.

Psal. 44.

E piscis pinguedine fouentur lucernas.

Cap. 24.

Accidit quandoque, vt nauæ Britones eius monasterij iumentum furim auferrent. Sed cum vellent inde abire, mare intumescens, præsens eis cepit periculum minitari. Itaque quidam ex illis sanæ mentis, animaduertentes ob suum facinus in discrimen conijci, cum diligenter inquisissent, repererunt pellem & carnes bouis. Reuersi ergo, vento impellente, ad monasterij insulam, ablata restituerunt, fidem dederunt, nihil se eiusmodi quandoque facturos: & ita impetrata venia pariter & benedictione, ad suam pace abiērunt.

Eoguntur fures restituere ablata.

Cap. 25.

Multos pisces non sine miraculo fratribus mare præbet.

Alio tempore Pictaense territorium magna annonæ caritate infestante, vir Dei pro fratrum necessitate sollicitus, attentè in preces incubuit. Manè inueniunt fratres magnam vim piscium, qui simul erant ducenti triginta & septem, mari recedente, in litore hæsisse. Ij pisces toto anno non solum fratribus solatio fuere, sed etiam per multis monasterijs & pauperibus præbuere alimoniam. Hærebant quandoque ad litus naues Britannica, vento eas retardante, & interim nauæ ex fame in discrimen adducebantur. Humanitate permotus vir Dei, iubet eis duo animalia & farinam atque panes dari: simulque cum fratribus orans pro eis Dominum, optatum eis ventum impetrauit, cuius secundo flatu altera luce profecti sunt. Sedebat quodam die cum fratribus, & propheticè repletus spiritu: Planè, inquit, fratres, gratias agamus Domino Iesu Christo. Propediem enim aderunt nobis e partibus transmarinis opportuna solatia. Non multo post aduenat quædam Scotorum nauis, diuersis onusta mercibus, fratribus vestes & calceos abundè suppeditans.

Eius propheta.

Cap. 26.

Psal. 146.

Catalogus virtutum eius.

Nostri quidem facultas tanta non est, vt eius facta omnia commemorare possimus. Ille hoc potest, qui numerat multitudinem stellarum. Erat hoc in illo præclarum, vt quicquid alijs faciendum prædicaret, id ipse prius re ipsa præstaret. Erat multa in eo pietas, insignis humanitas & misericordia, prompta concionandi facultas, magna ingenij & intellectus perspicacia, in ieiunando discretio, in colloquijs amabilis affabilitas, multus animi vigor, egregia hospitalitas. Erat redemptor captiuorum, mœren-

mœrentium consolator, ædificator ecclesiarum. Per multi quoque eius exemplis incitati, eum imitari nitebatur. Mendacium haud fecis atque virus exitiale vitabat. Castitatem, sobrietatem, in omni opere bono perfectionem illius quis explicet? Semper in ore eius Christus, semper in eius pectore spiritus sanctus versabatur. Tandem flentibus populis, lætantibus Angelis, anima eximij sacerdotis terdecimo Calendas Septembris, è mundi huius ludibrijs migravit ad Christum, perceptura à Domino palmam gloriæ sempiternæ: Qui cum patre & spiritu sancto vivit & regnat in secula seculorum, Amen.

VITA S. BERNARDI ABBATIS, SANCTI
TATE ET DOCTRINA EXIMII, V. LIBRIS

comprehensa.

PROLOGVS VVILHELMI ABBATIS SANCTI THEO-
dorici Rhemensis, in librum primum.

SCRIPTVRS serui tui vitam ad honorem nominis tui, prout tu dederis Domine Deus, ipsius, per quæ Ecclesiam nostri temporis in antiquum Apostolicæ gratiæ & virtutis decus voluisti reflorescere, cum inuoco adiutorem, quem iam olim habeo in centorem ad amorem tuum. Quis enim de amore tuo quantulumcunq; spiraculū vitæ habens, & videns testimoniū gloriæ & honoris tui tam præclarum, & tam fidele, temporibus nostris mundo insolitū effulsisse, non agat & fatagat, non det operam quantamcunq; potuerit, nè lumen à te accensum, tuorum quæmpia lateat: sed quantum humano fieri stylo potest, quod melius ipse tamen per virtutum operum facis, manifestatum & exaltarum luceat omnibus, qui in domo tua sunt? In quo cum ego iam olim vellē, prout possem, quæcunq; ministerium agere vicis mee, seu timore, seu verecundia prohibitus sum vsque adhuc: modò quidem supra me iudicans esse dignitatem materiæ, & dignioribus opificibus reseruandam: modò etiam post obitū eius, quasi superuicturus ei, melius hoc & cōpetentiū deliberās actitandum: cum iam homo non grauaretur laudibus, & tutius id fieret, cum iam securus esset à conturbatione hominum & contradictione linguarum. At ille vigens & valens, quanto infirmior corpore, tanto fortior fit & potens, non cessans agere digna memoria, & magna maioribus semper accumulans, quæ ipso tacente scriptorem requirant. Ego verò iam delibor, vrgentibus infirmitatibus & molestijs corporis huius, & mēbris meis omnibus incipientibus habere responsū vicinæ mortis, sentio instare tempus resolutionis meæ: plurimumq; timeo, nè serò me pœniteat tandū distulisse, quod, priusquam perefluam, velim omnimodè peregisse. Sed & fratrum quorundam pia benevolentia plurimum ad hoc me impellit & cohortatur: qui cum viro Dei iugiter assistunt, omnia eius nouerunt: ingerentes quædam diligenti inquisitione inuestigata, plura etiam, quibus, cum fierent, interfuerunt, & viderunt & audiuerunt. Qui cum multa suggerant & præclara, quæ per seruum suum Deus, ipsis præsentibus, operatur, & nota eorum religio & schola magisterij ab omni me liberet suspitione falsi: adhuc etiam ad testimoniū sibi asciscunt probabiliū autoritatem personarū, Episcoporum, clericorum, monachorum: quibus fidem non adhibere nulli fidelium licet: quanquam id superflue dixerim, cum totus ea nouerit mundus, & virtutes eius narret omnis Ecclesia sanctorum. Quapropter attendens diuinæ laudis mirificam materiam omnibus se offerentem, neminem verò susipientem, dissimulantibus eis, qui melius hoc ac dignius poterant: suscepi in ea agere ipse, quæ potero, non vanitate de se confidentis, sed præsumptione diligentis. Metiens tamen memetipsum in me metipso, & meipsum comparans mihi, nequaquam totam vitam viri Dei suscepi digerendam: sed ex parte, experimēta scilicet aliqua viuētis & loquentis in eo Christi, opera quædam exterioris cum hominibus conuersationis eius, quæ de ipso videntur, quibus hoc datum est, & nos quoque ex parte vidimus & audiuius, & manus nostræ contrectauerunt. Cum enim hoc ipsum ex parte magna de seipso sentiendum sit, quod de eo, qui dicit: Vivo autem iam non ego, vivit verò in me Christus: & Gal. 2. alibi: An, inquit, experimentum queritis eius, qui in me loquitur Christus? non inuisibilem illam vitam viuētis & loquentis in eo Christi enarrare proposui: sed exte. 2. Cor. 12. riora quædam vitæ ipsius experimenta, de puritate interioris sanctitatis & inuisibilis conscientia;

conscientiæ, per opera exterioris hominis, ad sensus hominis exteriores micantia; que sicut omnibus scire, sic etiam quibuslibet utcunque scribere in promptu est; præter-
 tim cum nec ipsa quasi accuratius digerenda, sed saltem in vnum congerenda & rep-
 onenda susceperim, nec edenda viuenti ipso, sicut nec scribuntur ipso sciente. Confido
 autem in Domino, quoniam post nos & post obitum eius exurgent, qui melius ac di-
 gnus perficient, quod nos conati sumus: qui etiam exteriora interioribus compara-
 re poterunt, & preciosam in conspectu Domini mortem eius, vitam similem continua-
 re scribendo, & de vita mortem, & de morte vitam commendare. Iam ergo, iuuante
 Domino, propositum aggrediamur.

VITÆ LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Augusti 20.

Parentes S.
Bernardi.

Luc 3.



Ephes. 5.

Omnes fra-
tres S. Ber-
nardi mona-
chi fuerunt,
& foror, mo-
nialis.Vide, nobi-
lis mariona
ut suas edu-
cet proles.Visio ma-
tris eius.Psal. 67.
Prophetia
de eo.

1. Reg. 11.

Adhibetur
litteris.Virtutes
eius adhuc
pueri.

ERNARVS ergo Burgundiæ oppido oriundus fuit, pa-
 rentibus claris secundum dignitatem seculi, sed digniori-
 bus ac nobilioribus secundum Christianæ religionis pieta-
 tem. Pater eius Tescelmus, vir antiquæ & legitimæ mili-
 titiæ fuit, cultor Dei, iustitiæ tenax. Euangelicam nanque
 secundum instituta præcursoris Domini, militiam agens,
 neminem concutiebat, nemini faciebat calumniam, con-
 tentus stipendijs suis, quibus ad omne opus bonum abunda-
 dabat; & sic consilio & armis seruebat dominis suis tem-
 poralibus, ut etiam Domino Deo suo non negligeret red-
 dere, quod debebat. Mater Aleth, ex castro, cui nomen

Mons Barrus, & ipsa in ordine suo Apostolicam regulam tenens, subdita viro, sub eo
 secundum timorem Dei domum suam regebat; operibus misericordiæ insistent, & fi-
 lios enutrient in omni disciplina. Septem quippe liberos genuit, non tam viro suo,
 quam Deo: sex mares, sceminam vnam: mares omnes monachos futuros, & scemi-
 nam sanctimoniam. Deo nanque, ut dictum est, non seculo generans, singulos mor-
 ut partu ediderat, ipsa manibus proprijs Domino offerebat. Propter quod etiam alie-
 nis vberibus nutriendos committere illustri scemina refugiebat, quasi cum lacte ma-

terno, materni quodammodo boni infundens eis naturam. Cum autem creuissent,
 quando sub manu eius erant, eremo magis, quam curiæ, nutrebat; non patiens deli-
 cationibus assuescere cibis, sed grossioribus & communibus assuescens, & sic eos præ-
 parans & instituens, Domino inspirante, quasi cõtinuò ad eremum transmittendos. Hac
 cum in ordine generandorum filiorum, tertium Bernardum haberet in utero, somnium
 vidit præsigium futurorum; catellum scilicet candidum totum, in dorso rufum & la-
 trantem, se in utero habere. Super quo territa vehementer, cum religiosum quendam
 virum consulisset, continuò ille spiritum prophetiæ concipiens, quo David de sanctis
 prædicatoribus Domino dixit, Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso trepidanti
 & anxie respondit, Nè timeas, benè res agitur. Optimi catuli mater eris, & qui domus
 Dei custos futurus, magnos pro ea contra inimicos fidei editurus est latratus. Erat
 enim egregius prædicator, & tanquam bonus canis, gratia linguæ medicinalis, in mul-
 tis multos morbos curaturus est animarum. Quo responso mulier pia & fidelis quasi à
 Deo suscepto, læta efficitur, & iam tunc in amore nondum nati tota transunditur, co-
 gitans eum sacris literis erudiendum tradere, secundum modum visionis & interpreta-
 tionis, qua ei de illo tam sublimia deitatis dona promittebantur. Quod & factum est.

Mox enim, ut felici partu edidit, non modò obtulit Deo, sicut de alijs agere consueue-
 rat; sed sicut legitur de sancta Anna matre Samuelis, quæ petiit à Domino & acce-
 prum filium, in tabernaculo eius destinavit perpetuò seruiturum: sic & ipsa eum in
 Ecclesia Dei acceptabile obtulit munus. Undè & quo citius id potuit fieri, in ecclesia
 Castellionis, quæ postmodum, ipsius Bernardi ope, à seculari conuersatione in ordi-
 nem regularium canonicorum sublimata cognoscitur, magistris literarum tradens eru-
 diendum: egit quicquid potuit, ut in eis proficeret. Puer autem & gratia plenus, & in-
 genio naturali pollens, citò in hoc, matris desiderium impleuit. Nam in literarum
 quidem studio supra ætatem & præcoætaneis suis proficiebat; sed in rebus seculari-
 bus iam mortificatione futuræ perfectionis velut naturaliter inchoabat. Erat quippe
 simplicissimus in secularibus, amans habitare secum, & publicum fugitans, mirè cha-
 ritatius,

ritatius, parentibus obediens & subditus, omnibus benignus & gratus: & domi simplex & quietus, foris rarus, & vltra, quam credi possit, verecundus, & nusquam multum loqui amans, Deo deuotus, vt puram sibi pueritiam suam conseruaret: literarum etiam studio deditus, per quas in scripturis Deū disceret & cognosceret. In quo quantum in breui profecerit, & quam perspicacem in discernendo induerit sensum, ex eo, quod subiungimus, aduertiri potest.

CAP. II.

CVM adhuc puerulus graui capitis dolore vexaretur, decidit in lectum. Adducta autem ad eum est muliercula, quasi dolorē mitigatura carminibus. Quam cum ille appropinquantem sentiret cum carminibus instrumentis, quibus hominibus de vulgo illudere consueuerat, cum indignatione magna exclamans, a se repulit & abiecit. Nec desuit misericordia diuina bono zelo sancti pueri: sed continuo sensit virtutem, & in ipso impetu spiritus surgens, ab omni dolore se liberatum esse cognouit. Ex quo cum non parum in fide proficeret, adiecit ei Dominus apparere, vt olim puero Samueli in Silo, & manifestare illi gloriam suam. Aderat nanque solennis illa nox natiuitatis Dominicæ, & ad solennes vigiliis omnes, vt moris est, parabantur. Cumque celebranda nocturni officij hora aliquantisper protelaretur, contigit, sedentem expectantemque Bernardum cum cæteris, inclinato capite paululum soporari. Affuit ilico puero suo se reuelans pueri Iesu sancta natiuitas, teneræ fidei suggerens incrementa, & diuinæ in eo inchoans mysteria contēplationis. Apparuit enim ei velut denuo procedens sponfus de thalamo suo: apparuit ei quasi iterum ante oculos nascens ex utero matris virginis verbum infans, speciosus forma præ filijs hominum, & pueruli sancti in se rapiens minimè pueriles affectus. Persuasum est autem animo eius, & nobis nonnunquam dicere consuevit, quod eam credat fuisse horam Dominicæ natiuitatis. Sed facile est aduertere his, qui eius auditorium frequentauerunt, in quanta benedictione ea hora præuenerit eum Dominus, cum vsque hodiè in his, quæ ad illud pertinent sacramentum, sicut ipse quoque fateretur, & sensus ei profundior, & sermo copiosior suppetere videatur. Vnde & postmodum in laudem eiusdem genitricis & geniti, & sanctæ eius natiuitatis, insigne edidit opusculum, inter initia operum suorum seu tractatuū, quos postmodum plures inuenitur edidisse, sumpra materia ex eo Evangelij loco, vbi legitur: Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, & cætera, quæ ibi sequuntur. Neque illud tacendum, quod ab ipsis iam puerilibus annis, si quos poterat nummos habere, clandestinas elemosynas faciens, & verecundiæ suæ morem gerebat, & pro ætate, immò supra ætatem, pietatis opera sectabatur. Cum autem post hoc aliquanto tempore deuoluto, proficiens ætate & gratia apud Deum & homines, puer Bernardus de pueritia transiret in adolescentiam, mater eius liberis feliciter & fideliter educatis, & vias seculi ingredientibus, quasi peractis omnibus, quæ sua erant, feliciter migravit ad Dominum. De qua nequaquam prætereundum est, quod cum multo tempore vixisset cum viro suo honestè & iustè secundum iustitias & honestates seculi huius, & legem fidemque coniugij, & per aliquot ante obitum suum annos, in eo ad quod filios suos nutrire videbatur, prout potuit, & licuit mulieri sub viri potestate constituta, nec habenti proprij corporis potestatem, omnes ipsa præuenit. Etenim in domo sua & in professione coniugali, & in medio seculi, eremiticam seu monasticam vitam non paruo tempore visa est æmulari, in victus parcitate, in vilitate vestitus, delicias & pompas seculi se abdicando, ab actibus & curis secularibus, in quantum poterat, se subtrahendo, insistendo ieiunijs, vigilijs & orationibus, & quod minus professionis assumptæ habebat, elemosynis & diuersis operibus misericordiæ redimendo. In quo de die in diem proficiens, ad extrema deuēnit, & perficienda in futuro in eo, in quo profecit, de seculo migravit. Obdormiuit autem psallentibus clericis, qui conuenerant, & ipsa pariter psallens, vt in extremis quoque, cum iam vox eius audiri non posset, adhuc moueri labia viderentur, & palpitans lingua Dominum confiteri. Demum inter litanias supplicatioes cum diceretur, Per passionem & Crucem tuam libera eam Domine: eleuans manum suam, signauit se, & emisit spiritum, ita vt manum non posset deponere, quam leuauit.

CAP. III.

EX hoc Bernardus suo iam more, suo iure vicitare incipiens, eleganti corpore, gratâ facie præeminens, suauissimis ornatus moribus, acri ingenio præditus, & acceptabili pollens eloquio, magnæ spei adolescens prædicabatur. Cui tanquam

X x

ingredienti

Repellit
puerulus
fœminam
carminibus
medentem.

1. Reg. 3.

Visio eius.

Psal. 18.

Psal. 44.

Luc. 1.

Benignitas
pueri in
egenos.

Obitus ma-
tris eius.

Mater eius
in medio
mundo vi-
ta agit mo-
nasticam.

Mundu-
blanditur S.
Bernardo.

Insi-
diatur
pudicitia
eius.

Seuerissime
punit in se-
ipso incau-
tum femi-
na adspe-
ctum.
Iob 32.

Eius eximia
castris.

Attēde eius
prudentiam
in depellen-
do à se mu-
lierē inho-
nestam.

*inrepara-
bilem

Matt. 11.

Cisterciensis
cenobij
origo & ri-
gor.

Carnales
eius amici,
nuntiant eū
ad huius se-
culi amorē
pertrahere.

ingredienti seculum, plures se via seculi ipsius offerre coeperunt, & omnes assurgere prosperitates vitæ huius, & magnæ spes vndiquè arridere. Obsidebant autem benignum iuuenis animum, sodalium dissimiles mores, & amicitia procellosa, similem sibi facere gestientes? quæ si ei dulcescere perstitissent, necesse erat amarescere illi, quod in hac vita dulcius cordi eius infederat, castitatis amorem. Cui præcipue invidens coluber tortuosus, spargebat laqueos tentationū, ac varijs oecuribus calcaneo eius insidiabatur. Vnde cum aliquandò matrona quædam, pulchritudine, diuitijs, cultu & alijs huiusmodi iritamentis concupiscētia & peccati præcellens, in secretiori domūs cubiculo eum aggressa, pertraheret ad peccatum, ille eam lenibus verbis demulcens, donèc è manibus eius & amplexibus elaberetur, fugit & euasit, & in medio ignis non est æstuatus. Altera autem vice, cum curiosius adspiciendo, defixos in quandam oculos aliquandiu tenuisset, continuo ad se reuersus, & de semetipso erubescens apud semetipsam, in seipsum vltor seuerissimus exarsit. Stagno siquidem gelidarum aquarum, quod in proximo erat, collotenus insiliens, tandiu inibi permansit, donèc penè exanguis effectus, per virtutem gratia cooperantis, etiam à calore carnalis concupiscētia totus refriguit: induens illum castitatis affectum, quem induerat, qui dicebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt ne quidem cogitarem de virgine.

Circa idem tempus, instinctu dæmonis, in lectum dormientis iniecta est puella nuda. Quam ille sentiens, cum omni pace & silentio partem ei lectuli, quam occupauerat, cessit, & in latus alterum se conuertit, atque dormiuit. Misera verò illa aliquandiu iacuit, sustinens & expectans, & deindè palpans & stimulans, demum etiam vnguibz eum lacerans & cruentans. Nouissimè cum immobilis ille persisteret, illa, licet impudentissima esset, erubuit, & horrore ingenti atque admiratione perfusa, relicto eo, surgens aufugit. Contigit itè, vt cum socijs aliquot apud matronam aliquam Bernardus hospitaretur. Considerans autem mulier adolescentem decorum adspēctū, capta est laqueo oculorum suorum, & in concupiscētiā eius exarsit. Cumque tanquā honoratori omnium seorsum fecisset ei lectulum preparari, surgens ipsa de nocte, impudenter accessit ad eum. Quam Bernardus sentiens, nec consilij inops, clamare cepit, Latrones, latrones. Ad quam vocem fugit mulier: familia omnis exurgit, lucerna accenditur, latro quaritur, sed minimè inuenitur. Ad lectulos singuli redeunt, & fit silentium, sunt tenebræ sicut prius: pausant ceteri, sed non illa misera requiescit. Exurgit denuò, & Bernardi lectulum petit: sed denuò ille proclamat: Latrones, latrones. Quaritur iterum latro, latet iterum, nec ab eo, qui solus nouerat, publicatur. Vique tertio improba mulier sic repulsa, vix tandè, siue metu, siue desperatione victa, cessauit. Cum autem die sequenti iter agerēt, arguentes Bernardum socij, curiam toties vna voce latrones somniauerit, perquirebāt. Quibus ille: Veraciter, inquit, latro aderat: quia quod mihi preciosius est in hac vita, castitatem videlicet, hospita nitebatur mihi auferre, & incomparabilem vtiq̃ thesaurum.

Inter hæc tamen cogitans & perpendens, quod vulgò dicitur, Non est tutū diu cohabitare serpenti, fugam meditari cœpiti. Videbat enim mundum istum & principem eius, exterius sibi multa offerentem, multa promittentem, & magnas res, spes maiores, sed fallaces omnes, & vanitates vanitatum: veritatem verò ipsam interius iugiter audiebat clamantem, & dicentem: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum super vos, & inuenietis requiem animabus vestris. Perfertus verò relinquere deliberans, cœpit inquirere & inuestigare, vbi certius & purius inueniret requiem animæ suæ sub iugo Christi. Inquirenti autem, prima, quæ animo eius insideret, occurrit Cistercij in nouatę monastice religionis noua plantatio, messis multa, sed operarijs indigens: cum vix adhuc aliquis conuersionis gratia declinaret illuc, ob nimiam vitæ ipsius & paupertatis austeritatem. Quæ tamen cum animum verè Deum quærentem minimè terreret, posthabita omni hastitatione ac timore, illuc vertit intentionem: posse se æstimans omninò ibi delitescere, & abscondi in abscondito faciei Dei ab omni conturbatione hominum: maxime quæ ad effugium vanitatis, seu de seculari generositate, seu de acrioris ingenij gratia, seu fortè de alio cuius nomine sanctitatis.

Vbi verò de conuersione tractantem fratres eius & qui carnaliter eum diligebant, persenserunt, id omnibus modis agere cœperunt, vt animum eius ad studium possent diuertere literarum, & amore scientiæ secularis, seculo arctius implicarent. Quæ nimium

rùm suggestione, sicut fateri solet, propemodùm retardati fuerât gressus eius: sed matris sanctę memoria, importunę animo iuuenis instabat, ita vt sepius sibi occurrentem videre videretur, conquerentem & impropertantem, quia non ad huiusmodi nugacitatem tam tenerę educauerat, & non in hac spe erudierat eum. Demùm cum aliquandò ad fratres pergeret, in obsidione castri, quod Granceium dicitur, cum Duce Burgundię constitutos, cępit in huiusmodi cogitatione vehemētius anxari: inuentaque in itinere medio ecclesia quadam, diuertit: & ingressus, orauit cum multo imbre lachrymarũ, expandens manus in cælum, & effundens sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. Ibi ergò firmatum est cor eius. Nec verò surda aure percepit vocem dicentis: Qui audit, dicat: Veni. Siquidem ab illa hora sicut ignis, qui comburit syluam, & sicut flamma comburens montes, hinc inde viciniora quęque corripens, postmodum in vltiora progreditur: sicut ignis, quę Dominus miserat in cor serui sui, volens vt arderet: primò quinq; fratres eius aggreditur, solo minimo ad conuersionem minùs habili, seniori patri ad solatium derelicto. Deindę cognatos, & notos, & focios, & amicos, etiam de quibuscunq; poterat esse spes conuersionis. Primùm omnium Galdricus auunculus eius absque dilatione aut hæsitatione, pedibus, vt aiunt, iuit in sententiam nepotis, & consensum conuersionis, vir honestus & potens in seculo, & in secularis militię gloria nominatus, dominus castri in territorio Heduefi, quod Tuillium dicitur. Continud etiam Bartholomęus occurrens, iunior cęteris fratribus, & necdum miles, sine difficultate eadem hora salutaribus monitis dedit assensum. Porro Andreas Bernardo etiam ipse iunior, nouus eo tempore miles, verbum fratris difficilius admittebat, donec subito exclamauit: Video matrę meam. Visibiliter siquidem ei præsens apparuit, serena facie subridens & congratulans proposito filiorum. Ipse etiam continuud manus dedit, & de tyrone seculi, factus est miles Christi. Nec solus vidit Andreas tantorum matrem filiorũ latantem, sed confessus est & Bernardus, eandem similiter se vidisse. Guido primogenitus fratrum, coniugio iam alligatus erat, vir magnus, & magnoperę in seculo radicans. Hic primùm paululũ hæsitans, sed continuud rem perpendens & recogitans, conuersioni consentit, si tamen coniunx annueret. Verum id quidem de iuuenula nobili, & paruulas filias nutrienti, penę impossibile videbatur. At Bernardus de misericordia Domini spem concipiens certior, incunctanter ei spondit, aut consensuram fœminam, aut celeriter morituram. Demùm cum omnimodis illa renueret, & vir eius magnanimus, immò ea iam prætentus virtute fidei, in qua postmodum excellenter emicuit, virile consilium, Domino inspirante, concepit: vt abiciens quicquid habere videbatur in seculo, vitam institueret rusticanam, laborare, scilicet manibus proprijs, vnde suam sustentaret & vxoris vitam, quam inuita dimittere non licebat. Interim superuenit Bernardus, qui vndique alios atq; alios colligebat discursus. Nec mora: flagellatur prædicta vxor Guidonis infirmitate graui. Et agnoscens, quia graue sibi esset contra stimulũ calcitrare, accersito Bernardo, veniam deprecatur, & prior ipsa conuersionis petit assensum. Deniquę iuxta morem Ecclesiasticum separata a viro, interueniente parili voto castitatis, in cœterum sanctimonialium transit fœminarum, religiosę vsque hodie seruiens Deo.

Secundus natus post Guidonem, Gerardus erat, miles in armis strenuus, & magnę prudentię, & benignitatis eximia: & qui ab omnibus diligebatur. Qui ceteris, vt dictum est, primo auditu & prima die acquiescentibus, vt est mos sapientię secularis, leuitatem reputans, obstinato animo salubre consilium & fratris monita repellebat. Tum Bernardus, fide iam igneus, & fraternę charitatis zelo mirum exasperatus in modum: Scio, inquit, scio: quia sola vexatio dabit intellectum auditui. Digitumque lateri eius apponens, Veniet, inquit, dies, & citò veniet, cum lancea lateri huic infixam, peruium faciet iter ad cor tuum consilio salutis tuę, quod aspernaris: & timebis quidem, sed minimè morieris. Sic dictum, sicque factum est. Paucissimis interpositis diebus, circunualatus ab inimicis, captus & vulneratus, iuxta verbum fratris, lanceam gestans ipsi lateri, eidemque infixam loco, traheretur, & mortem quasi iam præsentem metuens, clamabat: Monachus sum, monachus sum Cistertiensis. Nihilominus tamen captus & reclusus in custodia est. Vocatus est Bernardus per celerem nuncium, & acquieuit aliquatenus, vt veniret: Sciebam, inquit, & prædixeram, quod foret ei durum, contra stimulum calcitrare: nec tamen ad mortem ei vulnus hoc, sed ad vitam. Et factum est irā. Siquidem de vulnere præter spem citò conualuit: propositum verò seu votum, quod vouerat, non mutauit. Cumque iam liber ab amore seculi,

Apoc. 22.
Plal. 82.

Galdricum
auunculum
conuertit.

Item Bar-
tholomęum
fratrē suũ.

Item An-
dreas.

Item Gui-
donem pri-
mogenitum
fratrem.

Vxor Gui-
donis Chri-
sto se con-
secrat.

Prædicit S.
Bernardus
Gerardo
conuertura.

Castigatur
Gerardus,
ad vitę emē-
dationem.

culi, hostilibus adhuc vinculis teneretur, & hoc solum esset, quod conuersionis eius propositum retardaret, in hoc etiam citò affuit ei misericordia Dei. Venit frater eius, laborans ut erui posset, sed non profecit. Demùm cum nec loqui ei permitteretur, accedens ad carcerem, clamauit: Scito frater Gerarde, quia iturū sumus in proximo, & monasterium intraturi. Tu verò, quandoquidem exire non licet, hic monachus esto: sciens, quod vis & non potes, pro facto reputari. Cumque Gerardus magis ac magis anxaretur, paucis interpositis diebus, audiuit vocem in somnis, dicentem sibi: Hodie liberaberis. Percontanti modum, dictum est: Pater tuus & alius quidam te liberabunt. Erat autem sacrum Quadragesimæ tempus. Circa vespertinam itaque diei horam cogitans quod audiērat, compedes suas tetigit: & ecce ferrum ex parte crepuit in manu eius, ut minus iam teneretur, & aliquatenus incedere posset. Sed quid ageret? Erat ostium obseratum, & pro foribus pauperum multitudo. Surrexit tamen, &

Magno miraculo Gerardus frater eius liberatur & carcere.

non tam speuadendi, quam tadio iacendi, seu curiositate tentandi, accedens ad ostium subterraneæ domus, in qua vincus & clausus erat, mox ut pessillum tetigit, serena tota inter manus eius collapsa est, & ostium domus apertum. Exiens pedetentim, sicut homo compeditus, ad ecclesiam, ubi adhuc vespertina celebrabantur officia, perrebat. Porro mendici, qui pro foribus domus adstabant, videntes quod fiebat, diuinitus exterriti, in fugam conuersi sunt, nihil clamantes. Cumque iam appropinquaret ecclesie, egrediens quidam de familia domus captiuitatis suæ, germanus illius, à quo custodiebatur, vidensque eum ad ecclesiam properantem: Tardè, inquit, Gerarde venisti. Expauescente illo: Festina, ait, adhuc superest, quod audias. Oculi quippe eius tenebantur, nec prorsus, quid ageretur, agnoscebat. Sed ad altiores gradus ecclesie cum data manu Gerardum subleuasset, introeunte illo ecclesiam, tunc demùm, quid ageretur, agnouit: & conatus eum retinere, non potuit. Hoc ergo modo Gerardus à captiuitate amoris seculi huius, captiuitate filiorum seculi liberatus, votum quod vouit, fideliter persoluit. In quo potissimum notum fecit Dominus, à quanta perfectione sanctæ conuersionis gratiam iste Dei famulus ceperit, qui in eius spiritu, qui fecit quæ ventura sunt, quod erat futurum, videre potuit quasi iam factum. Præsentialiter quippe in latere fratris eius lancea apparebat, quando digitum in loco applicuit vulneris mox futuri, sicut ipse postmodum confessus est nobis.

Gerardus se monachum fore pollicetur.

Philipp.

Multos ad horatur ad mundi contemptum & vitam monasticam.

Hugo Antiochenus Episcopus.

Hugo vir nobilis & opulentus conuertitur.

Resistit à proposito.

Cum autem ceteri, ut diximus, fratres prima die in eodem essent cum Bernardo spiritu congregati, manè intrantibus eis ecclesiam, Apostolicum illud legebatur capitulum: Fidelis est Deus, quia qui cœpit in vobis opus bonum, ipse perficiet usque in diem Iesu Christi. Quod deuotus iuuenis haud secus accepit, quam si de celo sonuisset. Exultans itaque iam spiritualis pater regeneratorum in Christo fratrum suorum, & manū Domini intelligens secum operantem, cœpit ex hoc palam ubique prædicationi insistere, & quoscunque poterat, aggregare: cœpit nouum induere hominem, & cum quibus de literis seculi, seu de seculo ipso agere solebat, de seipso & conuersione tractare: ostendens gaudia mundi fugitiua, vitæ miseras, & celerem mortem, vitam, post mortem temporalem, siue in bonis, siue in malis perpetuam fore. Quid multa? Quotquot ad hoc præordinati erant, operante in eis gratia Dei & verbo virtutis eius, & oratione & instantia serui eius, primò cunctati, & deinde compuncti, alter post alterum credebant & consentiebant. Adiunctus est etiam ei dominus Hugo Matisconensis, nobilitate & probitate morum, possessionibus & diuitijs seculi ampliat. Qui hodiè merito religionis suæ & sanctitatis potius, quam nobilitatis seu diuitiarum gratia, raptus à Pontiniacensi cœnobio, quod ipse ædificauit, Antiocheni ecclesie præest merito & honore Pontificis. Hic audiens de conuersione socij & amici charissimi, fiebat quasi perditum, quem seculo mortuum audiebat. Vbi autem primò data est vtrique facultas mutui colloquij, post dissimiles lachrymas & gemitus dissimilium dolorum, verba verbis cœperunt conferri, & res rebus comparari. Cumque inter ipsa verba familiaris amicitie Hugoni infunderetur spiritus veritatis, aliā iam faciem habere cœperunt verba mutue colloquutionis. Datis itaque dextris in sodalium nouæ vitæ, longè digniùs veriusque facti sunt cor vnum & anima vna in Christo, quam in seculo antè fuerant. Post paucos autem dies nunciatur Bernardo, subuersum Hugonem ab alijs socijs, à proposito resilire. Opportunitate ergo inuenta, quòd magnus quidam Episcoporum conuentus illis in partibus haberetur, festinat ut reuocet pereuntem, iterumque parturiant. Obseruantes autem prædicti

dicti sodales & subuersores Hugonis, viso eo, prædam ambiunt suam, & omnem ei loquendi adimunt facultatem, omnem aditum intercludunt. At ille cum loqui ei non posset, clamabat pro eo ad Dominum. Quo orante cum lachrymis, subita & vehemens inundatio pluuiæ mox erupit. Confederant autem in campo, eò quòd aer serenus esset, & nil tale sperarent. Dispersi ergò omnes ad repentinum imbrem, vicum proximum petunt. At Bernardus Hugonem tenens + Mecum, ait, sustinebis huius pluuiæ guttas. Cumque soli remansissent, non fuerunt soli, sed Dominus fuit cum eis, reddens eis continuò & aëris & animi serenitatem. Ibi renouatum est fœdus, & propositum confirmatum, quod non potuit deinceps violari.

Videbat ista peccator, & irascebatur: dentibus suis fremebat & tabescebat: iustus autem confidens in Domino, gloriosè de seculo triumphabat. Iamque eo publicè & priuatim prædicante, matres filios abscondebant, vxores detinebant maritos, amici amicos auerrebant: quia voci eius spiritus sanctus tantæ dabat vocem virtutis, vt vix aliquè aliquis teneret affectus. Crescère siquidem eorù numero, qui in hanc cõuersionis vnanimitatem consenserant, sicut de primitiuis Ecclesiæ filijs legitur, Multitudinis eorum erat cor vnum & anima vna in Domino, & habitabant vnanimè simul, nec quisquam aliorum audebat se coniungere eis. Erat enim Castellioni domus vna propria & communis omnium, vbi conueniebant & cohabitabant & colloquebantur: quam vix ingredi aliquis audebat, qui non esset de cœtu eorum. Sed & si quis intrabat, videns & audiens, quæ ibi gerebantur, sicut de Christianis Corinthijs Apostolus dicit, omnibus quodammodo prophetantibus, conuincebatur ab omnibus, diiudicabatur ab omnibus, & adorans Dominum, & confitens quòd verè Deus esset in eis, aut ipse vnanimitati eorum adhærebat, aut recedens flebat semetipsum, illos autem beatificabat. Hoc enim illis temporibus & in illis partibus erat inauditum, vt alicuius adhuc in seculo commorantis conuersio præsciretur. Ipsi verò quasi mensibus sex post primum propositum in habitu seculari stabant, vt perindè plures congregarentur, dum quorundam negocia per id temporis expediebantur.

Cum autem iam suspecta inciperet esse multitudo, nè quem de numero eorum subriperet is, qui tentat, placuit Deo super hoc, quod futurum esset, reuelare. Adspiciebat enim quidam in visione noctis, & videbat quasi eos omnes confedissee in domo vna, & per ordinem singulos quasi communicare de cibo quodam miri candoris & saporis. Quem cæteris omnibus optimè suscipientibus, & cum gaudio magno, duos ex omni numero illo notabat à cibi illius salutaris participatione vacuos remansisse. Alter nanque eorum nec fumebat: alter quidem sumere videbatur, sed tanquam minus cautè sumeret, spargebatur: vtrunque verò postea probauit euentus. Alter enim, priusquam ventum esset ad rem, conuersus retrorsum, in seculum redijt: alter cum cæteris coepit quidem opus bonum, sed non bono fine conclusit. Vidi ego eum in seculo postea vagum & profugum à facie Domini, sicut Cain, quantum animaduertere potui, hominem humilimum, & miserabilis confusionis, & nimia pusillanimitatis. Qui tamen in vltimis Clarauallem redijt, infirmitate corporis & inopia cogente, cum homo benè natus, ab omnibus cognatis & amicis proijceretur: ibique proprietati renuncians, sed non omninò propriæ voluntati, obiit non quidem intus, vt frater & domesticus: sed foris, misericordiam postulans, sicut pauper & mendicus. Iam verò adueniente die reddendi voti, & complendi desiderij, egressus est de domo paterna Bernardus, pater fratrum suorum, cum fratribus suis, filijs suis spiritualibus, quos verbo vitæ Christo regenerauerat. Cumque exirent de mansione Guidonis primogeniti, quæ Fontana dicebatur, Guido videns * Niuardum fratrem suum minimum in platea puerum cum pueris alijs: Eia, inquit, frater Niuarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ. Ad quod puer non pueriliter motus: Vobis ergo, inquit, cælum, & mihi terra? Non ex æquo diuisio hæc facta est. Quo dicto, abeuntibus illis, tunc quidem domi cum patre remansit: sed modico post euoluto tempore, fratres secutus, nec à patre, nec à propinquis seu amicis potuit detineri. Supererat de domo illa Deo dicata pater senior, cum filia, de quibus etiam suo loco dicemus.

Eo tempore nouellus & pusillus grex Cisterciensis, sub Abbate degens viro venerabili Stephano, cum iam grauitè ei esse tædio inciperet paucitas sua, & omnis spes posteritatis decideret, in quam sanctæ illius paupertatis hereditas transfunderetur, venerantibus omnibus in eis vitæ sanctitatem, sed refugientibus austeritatem: repente diuina hæc visitatione tam læta, tam insperata, tam subita lætificatus est, vt in die illa

† B. Bernardus admonitus respicit.

Psal. iii.

Act. 4. & 5.

1. Cor. 14.

Visio vnius ex socijs S. Bernardi.

Gen. 4.

* Vnuardū

Niuardus sequitur ad monasterium fratres suos

Elia. 54. responsum hoc à spiritu sancto accepisse sibi domus illa videretur? Letare sterilis, que non pariebas? erumpe & clama, quæ non parturiebas? quia multi filii deserta magis, quàm eius quæ habet virum: de quibus postmodum visura es filios filiorum vsque in multas generationes. Nam anno priore vni ex eisdem Cisterciensibus primis fratribus in extremo iam posito, apparuit innumera hominum multitudo prope basilicam, ad fontem lauans vestimenta sua? & in ipsa visione dictum est ei, quia fons Ennon vocaretur. Quod cum indicasset Abbati, intellexit protinus vir magnificus diuinam consolationem? & multum quidem iam tunc de promissione, sed plurimum postea de exhibitione letatus, egit gratias Deo per Iesum Christum: qui cum eo & spiritu sancto viuit & regnat in secula seculorum, Amen.

CAP. IIII.

ANno ab incarnatione Domini millesimo centesimo tertio decimo, à constitutione domus Cisterciensis quintodecimo, seruus Dei Bernardus annos natus circiter vigintitres, Cistercium ingressus cum socijs ferme triginta, sub Abbate Stephano suauis iugo Christi collum submisit. Ab illa autem die dedit Dominus benedictionem, & vinea illa Domini Sabaoth dedit fructum suum, extendens palmites suos vsque ad mare, & ultra mare propagines eius. Quia verò ex prædictis socijs eius, vocati aliqui fuerant, & vxores quoque cum viris idem votum sacra conuersationis iniierant: per ipsius sollicitudinem ædificatum eis cœnobium sanctimonialium sceminarum, quod Villetum dicitur, in Lingonensi parochia, Domino cooperante, magnificè satis excreuit, vsque hodiè religionis opinione celeberrimum, & personis ac possessionibus dilatatum: sed & propagatū iam per loca alia, & non cessans adhuc ampliore facere fructum. Hæc quidem fuere viri Dei conuersationis sancta principia. Conuersationis autem eius insignia, quomodo viram Angelicam gerens in terris inueniunt, neminem enarrare posse puto, qui non viuat de spiritu, de quo ille vixit. Solius quippe dominantis & accipientis est nosse, quantum mox in conuersationis exordio præuenit eum Dominus in benedictionibus dulcedinis suæ, & quanta repleuerit gratia electionis, quomodo ab vbertate domus suæ inebriauerit eum. Ingressus est autem domum illam pauperem spiritu, & eo adhuc tempore absconditam & penè nullam, intentione ibidem moriendi à cordibus & memoria hominum, & spe delitescendi & latendi, tanquam vas perditum, Domino aliter disponente, & eum sibi in vas electionis præparante: & non solum ad ordinem monasticum confortandum ac dilatandum, sed ad portandum nomen suum coram gentibus & regibus, & vsque ad extremum terre.

Ipsè verò de se nil tale æstimans aut cogitans, potius ad custodiam oris sui & propofiti constantiam, hoc semper in corde, frequenter etiam in ore habebat. Bernardus, ad quid venisti? Et sicut de Domino legitur, quia cepit Iesus facere & docere, à prima die ingressus sui in cellam nouitiorum, ipse cepit agere in semetipso, quod erat alios dociturus. Postmodum enim, cum iam Claraualis Abbas ordinatus esset, aduentantibus nouitijs & festinantibus ingredi, audire eum soliti sumus prædicantem & dicentem: Si ad ea, quæ intus sunt, festinatis: hic foris dimitte corpora, quæ de seculo attulisti. Soli spiritus ingrediantur: caro non prodest quicquam. Quod tamen nouitijs, ad nouitatem verbi perterritis, parcens teneritudini eorum, clementius exponendo, dicebat carnalem concupiscentiam foris dimittendam. Ipse autem cum nouitius esset, in nullo sibi parcens, instabat omnimodis mortificare non solum concupiscentias carnis, quæ per sensus corporis fiunt, sed & sensus per quos fiunt. Cum enim iam interiore sensu illuminati amoris dulcius ac frequentius sentire inciperet desuper spirantem sibi suauitatem, sensui illi interiori timens à sensibus corporis, vix tantum eis permittebat, quantum sufficeret ad exterioris cum hominibus conuersationis societatem. Quod cum continui vsus instantia in consuetudinem mitteret, consuetudo ei ipsa quodammodo vertebatur in naturam: totusque absorptus in spiritum, sæpè tota in Deum directa intentione spiritali, tota occupata memoria, videns non videbat, audiens non audiebat: nil sapiebat gaudenti: vix aliquid sensu aliquo corporis sentiebat. Iam quippè annum integrum exegerat in cella nouitiorum, cum exiens inde, ignoraret, vtrum adhuc desuper celata esset domus ipsa. Multo tempore frequentauerat intrans domum ecclesiæ, cum in eius capite vnâ tantum esse fenestram arbitraretur.

Curiositatis enim sensu mortificato, nil huiusmodi aduertebat: vel si fortè aliquando eum contingeret videre, memoria, vt dictum est, alibi occupata, non sentiebat.

S. Bernardus
cui 30 socijs
fit monachus
Cisterciensis

Sacchimonialium
cœnobium
extruitur.

* cordis

Ador. 1.

Ingressuri
monasterium
debet foris
relinquere
sua corpora

Consuetudo
altera est
natura.

Adhuc nouitius,
mirè est totus Deo
intentus.
Celata, pro
Testudine
ata.

bat. Sine memoria quippè sensus sentientis nullus est. Natura quoque in eo non dissentiebat à gratia. Naturaliter enim iam ab initio hoc erat homo iste, quod legitur. *Puer eram ingeniosus, & fortitus sum animam bonam: & cum magis essem bonus, vèni ad corpus coinquinatum.* Ad contemplanda quippè spiritualia quæque seu diuina, cum gratia spirituali, naturali quadà virtute pollebat ingenij: fortitusque in hoc etiam erat animam bonam, sensualitatem non curiosè lasciuam, nec superbè rebellem: sed congaudentem spiritualibus studijs, & in eis, quæ ad Deum sunt, spontè subditam spiritui & seruientem. Corpus etiam nullius vnquam contaminatum consensu flagitij, etsi neglectum minus curaretur, quàm oportebat, ad seruiendum spiritui in seruitio Dei aptissimum instrumentum. Sed cum caro in eo ex dono prouenientis gratia, & adiutorio subsequētis naturæ, & vsu bono spiritualis disciplinæ, vix iam aliquid concupisceret aduersus spiritum, hoc est, quod spiritum læderet: spiritus supra vires, supra virtutem carnis ac sanguinis, tanta aduersus carnem concupiscebat, vt infirmum animal cadens sub onere, vsque in hanc diem non adijciat vt resurgat. Quid enim dicam de somno, qui in cæteris hominibus solet esse refectionis laborum, & sensuum aut mentium reformatio: extunc vsque hodiè vigilat vltra possibilitatem humanam. Aliquando dormit, sed somno tenuissimo; & qui nulli hominum, præter ipsum, qualemcunque refectionem conferre posset. Nullum enim tempus magis se perdere conuenit, quàm quo dormit: idoneam satis reputans comparisonem mortis & somni: vt sic dormientes videantur mortui apud homines, quomodo apud Deum mortui dormientes. Vnde etiam si quem fortè religiosum in dormiendo seu durius stertentem audierit, seu minus compositè viderit iacentem, paciēter vix ferre potest, sed carnaliter eum seu seculariter dormire causatur. In ipso nanque tenuem victum tenuis somnus comitatur. In neutro enim vllam indulget corpori suo satietatem, nisi quod in vtroque sumpsisse aliquid, fat ei est. Quantum enim ad vigilias, vigiliarum modus est, non totam noctem ducere in somnum. Porro ad comedendum vsque hodiè vix aliquando voluptate trahitur appetitus, sed solo timore defectus. Etenim comesturus, priusquàm comedat, sola cibi memoria satur est. Sic accedit ad sumentium cibum, quasi ad tormentum. A primo siquidem conuersionis suæ anno, seu egressione de cella nouitiorum, natura eius cum tenera nimis semper & delicata complexionis fuisset, ieiunijs multis & vigilijs, frigore & labore, durioribus & continuis exercitijs attrita, corrupto stomacho, crudum continuo per os solet reijcere, quod ingeritur. Quod si quid naturali decoctione digestum transfunditur ad inferiora, ibi nihilominus partibus illis corporis non minoribus infirmitatum incommodis obsessis, non nisi cum graui tormento egreditur. Si quid autem residuum est, ipsum est alimentum corporis eius qualecunque, non tam ad vitam sustentandam, quàm ad differendam mortem. Semper autem post cibum quasi pensare solitus est, quantum comederit. Si aliquando ad modicum mensuram solitam excessisse se depræhenderit, impunè abire non patitur. Sed & vsus parsimoniam sic ei in naturam versus est, vt etsi aliquando corporalis sibi cuiuslibet refectionis plus aliquid solito velit indulgere, non possit. Sic autem ab initio fuit inter nouitios nouitius, monachus inter monachos, spiritu validus, corpore infirmus, nil indulgentiæ circa corporis quietem seu refectionem, nil remissionis de communi labore vel opere sibi fieri aliquando acquiescens. Cæteros nanque, sanctos esse arbitrabatur & perfectos: se verò, sicut nouitium & incipientem, nequaquam emeritorum perfectorumque indulgentijs & remissionibus indigere, sed feruore nouitio, & ordinis distinctione, & rigore disciplinæ. Propter quod communis vitæ seu conuersationis feruentissimus æmulator, cum opus manuum aliquod fratres actarent, quod seu minor vsus ei, seu imperitia denegabat: fodiendo, seu ligna cadendo, & proprijs humeris deportando, vel quibuslibet laboribus æquè laboriosis illud redimebat. Vbi verò vires deficiebant, ad villiora quæque opera confugiens, laborem humilitate compensabat, & mirum in modum is, qui tantam in contemplatione rerum spiritualium ac diuinarum acceperat gratiam, circa talia non solùm occupari patiebatur, sed & plurimum delectabatur. Sed mortificata, vt dictum est, sensualitate, cuius seu curiositate, seu infirmitate, in huiusmodi laborum corporalium distractionibus, perfectorum etiam quorumque mentes sæpè necesse est, etsi non intentione, certè memoria & cogitatione, ab interiore vnitatis spiritus aliquam pati dissolutionem: ipse privilegio maioris gratiæ, in virtute spiritus simul & totus quodammodo exterius laborabat, & totus interiorius

Sap. 8.

Natura eius bonitas.

Mirus feruor spiritus.

Vigilia supra vires humanas.

Cibus haud aliter atque tormentum accipit.

Spiritu robustus, corpore infirmus.

Erimia eius perfectio.

Deo vacabat: in altero pascens conscientiam, in altero deuotionem. Laboris ergo tempore, & semper intus orabat seu meditabatur, absque intermissione exterioris laboris: & exterius laborabat, absque iactura interioris suauitatis. Nam vsque hodie quicquid in scripturis valet, quicquid in eis spiritualiter sentit, maximè in syluis & in agris meditando & orando se confitetur accepisse, & in hoc nullos aliquando se magistros habuisse, nisi quercus & fagos, ioco illo suo gratiose inter amicos dicere solet. Quantum verò in scripturis valeat, palàm omnibus est, qui vel loquentem eum

Quercus & fagos habet magistros.

Monachorum, est ali quando vacare corporalibus operibus. Diuinitus prestat ei perita mendi.

Legit reuerenter scriptura Patrum.

2. Tim. 3.

Magna dextentate docet verbum Dei.

Mensis tempore fratribus ad secundum cum seruire & gaudio sancti spiritus occurreret: cum ipse quasi impotens & nescius laboris ipsius, sedere sibi & requiescere iuberetur: admodum contristatus, ad orationem confugit, cum magnis lachrymis postulans à Deo donari sibi gratiam merendi. Nec fecellit simplicitas fidei, desiderium religiosi. Continuo nanque, quod petijt, impetrauit. Et ex illo die in labore præceteris peritum se esse cum quadam iucunditate gratulatur, tanto in hoc opere deuotior, quanto se in hoc ipso facultatem ex solo Dei dono reminiscitur accepisse. Feriat autem ab huiusmodi labore vel opere, iugiter aut orabat, aut legebat, aut meditabatur. Ad orandum si se solitudo offerret, utebatur: sin autem, vbicunque seu apud se, seu in turba esset, solitudinem cordis ipse sibi efficiens, vbique solus erat. Canonicas autem scripturas simpliciter ac seriatim libentius ac sapius legebat, nec vllis magis, quam ipsarum verbis eas intelligere se dicebat: & quicquid in eis diuinæ sibi elucebat veritatis aut virtutis, in primæ sibi originis suæ fonte magis, quam in decurrentibus expositionum riuus sapere testabatur. Sanctos tamen & orthodoxos eorum expositores humiliter legens, nequaquam sensibus eorum suos sensus æquabat, sed subijciebat formandos: & vestigijs eorum fideliter adhærens, sæpè de fonte, vnde illi hauserant, & ipse bibebat. Inde est, quod plenus spiritu, quo omnis sacra scriptura diuinitus est inspirata, tam confidenter & vtiliter ea vsque hodie, sicut Apostolus dicit, vitur ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum: & dum prædicat verbum Dei, quicquid de ea affert in medium, sic patens & placens efficit, & circa id, vnde agitur, efficax ad monendum, vt mirentur omnes, tam seculari, quam spirituali præditi doctrina, in verbis gratiæ, quæ procedunt de ore eius.

C A P. V.

Fit Abbas Clarauallis.

Clarauallis quid loci fuerit.

Summā penuriam patitur cum suis in Claraualle.

Confliktus in eo charitatis & humilitatis.

Cum autem placuit ei, qui eum segregauit à seculo, & vocauit, vt ampliore gratia reuelaret in eo gloriam suam, & multos filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum: misit in cor abbatis Stephani, ad ædificandum domum Clarauallis mittere fratres eius, & cum eis alios viros religiosos. Quibus abeuntibus, ipsum etiam dominum Bernardum præfecit Abbatem, mirantibus sanè illis, tanquam maturis & strenuis, tam in religione, quam in seculo viris: & timentibus ei, tum pro tenerioris ætate iuuentutis, tum pro corporis infirmitate, & minore vsu exterioris occupationis. Erat autem Clarauallis locus in territorio Lingonensi, non longè à fluuio Alba, antiqua spelunca latronum: & antiquitus dicebatur Vallis absynthialis, seu propter abundantiam ibi absynthij copiam, seu propter amaritudinem doloris, incidentiū ibi in manus latronum. Ibi ergo in loco horroris & vastæ solitudinis confederunt viri illi virtutis, facturi de spelunca latronum, templum Dei & domum orationis. Vbi simpliciter aliquanto tempore Deo seruièrunt in paupertate spiritus, in fame & siti, in frigore & nuditate, in vigilijs & angustijs multis. Pulmentaria sapius ex folijs fagi conficiebant. Panis instar prophetici illius, ex hordeo & milio & vicia: ita vt aliquando religiosus vir quidam appositum sibi in hospitio, plorans vbertim, clam absportauerit, quasi pro miraculo omnibus ostendendum, quod inde viuerent homines, & tales homines. At virum Dei minus ista mouebant. Summa ei sollicitudo de salute multorum, quæ à prima die cōuersionis suæ vsque ad hoc tempus, tam singulariter sacrum illud pectus noscitur possidere, vt erga omnes animas maternum videatur gerere affectum. Erat ergo vehemens in præcordijs eius, sancti desiderij & sanctæ humilitatis conflictus. Modò enim seipsum deijciens, fatebatur indignum per quem fructus aliquis proueniret: modò oblitus sui, æstuabat flagrantissimo ardore, vt nullam nisi ex multorum salute consolationē posse admittere videretur. Sanè fidutiā charitas pariebat: sed eandē castigabat humilitas. Contigit autē inter hæc, vt aliquando temperius solito surgeret ad vigilias. Quibus peractis, cum vsque ad matutinas lætudes superesset interuallum, egressus foras, & loca vicina circumiens, orabat Deum, vt acceptum haberet

beret obsequium suum & fratrum suorum? & in eo, quod diximus, spiritualis fructus desiderio constitutus, subito stans in ipsa oratione, modice interclusis oculis, vidit vndique ex vicinis montibus tam infinitam diuersi habitus & diuersae conditionis hominum multitudinem in inferiorem vallem descendere, vt vallis ipsa capere non posset. Quod quid significauerit, iam manifestum est. Haec ergo vir Domini visione magnifice consolatur. Exhortatus est etiam fratres suos, commonens eos, de misericordia Dei nunquam desperare.

CAP. VI.

Cum vero ante instantem hyemem Gerardus frater eius, cellerarius domus, apud eum durius quereretur, ad necessaria domus & fratrum, multa desse, nec habere se, vnde ea coemeret, & urgente necessitate, iam nullam reciperet verborum consolationem? res autem in promptu non esset, quae daretur? Vir Dei, quantum ad praesentes interim angustias sufficere posset, inquisiuit. Ille vero vndecim libras respondit. Tunc dimittens eum, ad orationem confugit. Post paululum vero rediens Gerardus, mulierem quandam de Castellione, foris esse, & velle ei loqui nunciavit. Ad quam cum egrederetur, procedens ad pedes eius eadem mulier, duodecim librarum benedictionem ei obtulit, orationum suffragia implorans viro suo periculosè agrotanti. Quam breuiter allocutus, dimisit à se? Vade, inquit, sanum inuenies virum tuum. Illa vero abiens in domum suam, sicut audierat, sic inuenit. Abbas vero consilans pusillanimitatem cellerarii sui, ad sustinendum Dominum deceterò reddidit fortiolem. Nec tamen semel ei hoc contigisse, certum est? sed saepe, cum huiusmodi necessitas instaret, repente vnde non sperabatur, auxilium ei à Domino affuisse. Propter quod viri prudentes, intelligentes manum Domini esse cum eo, teneritudinem mentis eius, à delicijs paradisi nuper egressae, rerum exteriorum sollicitudine grauare cauebant, eas ipsi intra semetipsos, vt poterant, digerentes, & tantummodò de interioribus conscientijs suis, & causa animarum suarum cum consulentes. In quo tamè penè hoc eis contigit, quod filijs Israel legimus olim de Moyse contigisse, cum diu conuersatus cum Domino in monte Sina, & de caligine nubis regrederetur & descenderet ad populum, & ex colloquio Domini facies eius cornuta appareret & terribilis, adeò vt fugeret populus ab eo. Egressus enim vir ille sanctus à facie Domini, qua in solitudine Cistercij, & sublimioris altitudine contemplationis in silètio aliquandiu fructus erat, quasi de caelo afferens inter homines miraculum quoddam conqueste sibi apud Deum plusquam humanae puritatis, homines quos regere, & inter quos conuersari veniebat, penè omnes à se absteruit. Si quando nanque de spiritualibus & adificatione animarum sermonem ad eos habebat, loquebatur hominibus lingua Angelorum, & vix intelligebatur? Maxime autem in his, quae ad mores hominum pertinebant, ex abundantia cordis sui tam sublimia eis proponebat, tam perfecta exigebat ab eis, vt durus videretur sermo? intantum non capiebant, quae dicebantur. Rursus cum singulatum audiret eos consententes sibi, & semetipsos accusantes super diuersis illusionibus cogitationum communium humanarum, quas nullus in carne viuens homo penitus vitare potest? hoc potissimum fuit, in quo luci illi ad tenebras illas conuentio esse non potuit, scilicet quòd homines inueniebat, quos in hac parte Angelos aestimabat. Angelicam enim magna ex parte degustans puritatem, & ex conscientia iam olim acceptae gratiae à Deo singularis simplicitatis, praedudicans vniuersae conditioni humanae fragilitatis, in tentationes seu iniquationes cogitationum harum nullum religiosum virum posse incidere, vel si incideret, verè religiosum esse non aestimabat. Sed viri verè religiosi & pie prudentes, & in praedicatione sermonum eius venerabantur etiam quae non capiebant, & in confessionibus suis, licet ad nouum stupere audirent, eò quòd seminarium quoddam desperationis praeferre videretur infirmis, tamen iuxta sententiam sancti Iob, nefas putabant contradicere sermonibus sancti? non excusantes, sed accusantes infirmitatem suam in conspectu hominis Dei, in quo nemo viuens iustificari potest in conspectu Dei. Vnde factum est, vt fieret magistra magistri, pia humilitas discipulorum. Cum enim ad nutum arguentis humiliarentur, qui arguebantur? coepit etiam spirituali magistro aduersus fratres humiles & subiectos zelus suus esse suspectus, intantum, vt ipse iam potius accusaret ignorantiam suam, & desleret necessitatem, quòd silere non liceret, cum nesciret loqui? quòd non tam alta ad homines, quam indigna hominibus loquendo, laederet conscientias auditorum? quòd tam serupulosè perfectio.

Visio eius.

Sanat egròrum abientem.

Sapè diuinitus praestantur ei necessaria.

Exod. 34.

Tanta facultate claruit, vt lingua crederetur loqui Angelica.

Eius summa vitae perfectio, principio patribus onerosa fuit.

Iob 6.

Psal. 142.

Humilitas facta est, vt ceperet zelum suum.

fectionem à fratribus simplicibus exigebat, in quo se nondum inueniret ipse perfecte. Cogitabat namque, eos multo meliora & viciniore salutem suam in silentio suo meditari, quam ab ipso audirent? deuotius & efficacius salutem suam operari, quam ex eius exemplo acciperent? ex prædicatione uero eius scandalizari potius, quam aliquid concipere ædificationis. Cumque super hoc vehementius conturbaretur & contristaretur, & diuersæ cogitationes ascenderent in cor eius? post multos cogitationum fluctus & cruciatus cordis, decreuit ab exterioribus omnibus ad interiora sua recolligere se, ibique in solitudine cordis & secreto silentij continere? & prætolari Dominum, donec quocunque modo misericordiam suam super hoc ei suam reuelaret uoluntatem. Nec distulit misericordia Dei auxilium in tempore opportuno. Paucis siquidem diebus euolutis, uidit in visu noctis puerum, claritate quadam diuina adstantem sibi, & magna autoritate præcipientem fiducialiter loqui, quicquid ei suggereretur in apertione oris sui? quoniam non ipse esset, qui loqueretur, sed spiritus sanctus, qui loqueretur in eo. Et tunc manifestus in eo & per eum loquens spiritus sanctus, & sermonem potentiorum ei, & sensum in scripturis abundantiorum suggerens, in apertione oris sui apud auditores quoque gratiam ei addidit & auctoritatem, & intellectum super egenum & pauperem, & peccatorem poenitentem, & veniam postulantem.

Thren. 3.

Visio eius.

Pater eius fit monach.

En ut se gerit erga sororem, cui po-pa ipsum inuisentem.

Sororis eius admiranda conuersio & conuersatio.

Fit Monacha soror eius.

Vuilhelmus insignis episcopus Catalaunensis.

Cumque iam aliquatenus didicisset inter homines conuersari, & humana agere ac tolerare, iamque inter fratres suos quasi vnus ex eis & cum eis inciperet frui fructibus conuersionis suæ, pater quoque, qui solus domi remansit, ueniens ad filios suos, appositus est ad eos. Qui cum aliquod tempus ibi fecisset, obiit in senectute bona. Soror quoque eorum, in seculo nupta, & seculo dedita, cum in diuitijs & delicijs seculi periclitaretur, tandem aliquando inspirauit ei Deus, ut fratres suos uisitaret. Cumque uenisset quasi uisura fratrem suum uenerabilem, & adesset cum comitatu superbo & apparatu, ille detestans & execrans eam, tanquam rete diaboli ad capiendas animas, nullatenus acquiescere uoluit exire ad uidendum eam. Quod audiens illa, confusa & compuncta uehementer, cum nullus ei fratrum suorum occurrere dignaretur, cum à fratre suo Andrea, quem ad portam inuenerat monasterij, publicè ob uellum apparatus, stercus inuolutum argueretur, tota in lachrymis resoluta? Etsi peccatrix sum, inquit, pro talibus Christus mortuus est. Quia enim peccatrix sum, idcirco consilium & colloquium bonorum requiro. Etsi despiciat frater meus carnem meam, ne despiciat seruus Dei animam meam. Veniat, & præcipiat? & quicquid præceperit, facere parata sum. Hanc ergo promissionem tenens, exiit ad eam cum fratribus suis frater eius. Et quia eam à viro separare non poterat, primo uerbo omnem ei mundi gloriam in cultu uestium, & in omnibus seculi pompis & curiositatibus interdixit, & formam uitæ matris suæ, in qua multo tempore uixit cum viro, ei in dicit, & sic eam à se dimisit. Illa uero obedientissimè parens præcepto, rediit ad propria, mutata repente secundum omnipotentiam dexteræ excelsi. Stupebant omnes adolescentulam nobilem, delicatam, subita mutatione in habitu & uictu, in medio seculi uitam ducere eremiticam, & instare uigilijs, ieiunijs & orationibus, atque ab omni seculo prorsus se facere alienam. Biennio postea sic uixit cum viro suo? illo sanè, secundo maxime anno, dante Deo honorem, nec temerare ulterius præsumente templum spiritus sancti, qui etiam tandem uirtute eius uictus perseverantiæ, liberam à se dimittens iuxta ritum Ecclesiæ, facultatem ei concessit seruiendi Deo, cui se probauit. Illa uero operata libertate potita, monasterium Villeium, cuius supra meminimus, adiens, cum sanctimonialibus inibi Deo seruentibus, reliquum uitæ suæ Deo uouit? ubi tantam ei gratiam Dominus contulit sanctitatis, ut non minus animo, quam carne, illorum probaretur uirorum Dei esse germana.

CAP. VII.

Cum autem missus nouiter Claraualem Bernardus, ordinandus esset in monasterium, ad quod assumptus erat, & sedes Lingonensis vacaret, ad quam ordinatio ipsa respiciebat? quærentibus fratribus, quò cum deducerent ordinandum, citò se obtulit bona fama uenerabilis Catalaunensium Episcopi, opinatissimi illius magistrum Vuilhelmi de Capellis, illucque eum transmittendum esse definitum est. Sicque factum est. Abijt autem Catalaunum, assumpto secum Elbodone, monacho quodam Cisterciensi. Intrauit ergo prædicti Episcopi domum iuuenis exesi corporis & moribundi, habitu quoque despiciabilis, subsecente monacho seniore, & magnitudine & robore corporis eleganti, alijs ridentibus, alijs iridentibus, alijs rem, sicut erat, inter-

interpretando venerantibus. Cum autem quareretur, quis eorum esset Abbas, Episcopus primus oculos in eum apertos habens, agnouit seruum Dei, & suscepit eum sicut seruum Dei. Cum enim primò in priuato colloquio omni melius locutione prudentiam iuuenis magis magisque proderet verecundia loquendi, intellexit vir sapiens diuinam visitationem in aduentu hospitis sui. Nec defuit hospitalitatis pia instantia, donèc vsque ad familiarem fiduciam & libertatem loquendi producto colloquio ad alterutrum, iam melius eum commendaret conscientia sua, quam verba vlla. Quid multa? Ex illa die & ex illa hora facti sunt cor vnum & anima vna in Domino, intantum, vt sæpe alter alterum hospitem deinceps haberet, & propria esset domus Episcopi, Claraualis? Claraualensium verò efficeretur non sola domus Episcopi, sed & per ipsum tota ciuitas Catalaunensis, quinetiam & Rhemensis prouincia, & Gallia tota per eum in deuotionem excitata est & reuerentiam viri Dei, ita vt huius temporis presentissime in eo gratiam videatur homo tantæ authoritatis, sic affectus erga ignotum monachum, & monachum tantæ humilitatis.

Modico verò post tempore transacto, cum eousque infirmitas Abbatis ingrauesceret, vt iam non nisi mors eius, aut omni morte grauior vita speraretur, ab Episcopo visitatus est. Cumque viso eo Episcopus se non solum vitæ eius, sed & sanitatis spem habere diceret, si consilio eius acquiescens, secundum infirmitatis suæ modum aliquam corpori suo curam pateretur impendi: ille verò à rigore vel vsu consuetudinis suæ minus facile flecti posset, profectus Episcopus ad Capitulum Cisterciense, ibi coram pauculis Abbatibus, qui conuenerant, pontificali humilitate & sacerdotali charitate toto corpore in terram prostratus, petijt & obtinuit, vt toto anno vno in obedientiam sibi traderetur. Quid enim tantæ humilitati in tantâ posset autoritate negari? Reuersus itaque Clarauallem, extra claustrum & terminos monasterij domunculam vnâ ei fieri præcepit, ordinans & mandans in cibo vel potu, siue aliquo huiusmodi, circa eum nullam ei ibi teneri ordinis distractionem, nullam de tota cura domûs ad eum referri sollicitudinem? sed sibi eum ibi viuere secundum modum ab eo præstitutum. Eodem tempore & ego Clarauallem, ipsumque frequentare coë. Quem cum ibi cum quodam Abbate altero visitarem, inueni eum in suo illo tugurio, quale leprosis in compitis publicis fieri solet. Inueni autem ex præcepto, vt dictum est, Episcopi & Abbatum, feriatum ab omni sollicitudine domûs, tam interiori quam exteriori, vacantem & Deo & sibi, & quasi in delicijs paradisi exultantem. Ingressusque regium illud cubiculum, cum considerarem habitationem & habitatorem, tâta mihi (Deum testor) domus ipsa incutiebat reuerentiam suâ, acsi ingrederer ad altare Dei: tantaque sum affectus suauitate circa habitantem illum, tantoque desiderio in paupertate illa & simplicitate cohabitandi ei, vt si optio illa die mihi data fuisset, nil tam optâsem, quam ibi cum eo semper manere ad seruiendum ei. Cumque & ipse vicissim nos cum gaudio suscepisset, & quareremus quid ageret, quomodo ibi viueret, modo illo suo gratioso aridens nobis: Optimè, ait. Ego, cui hæcenus homines rationales obediebant, iusto Dei iudicio, irrationabili cuidam bestię datus sum ad obediendum? Dicebat enim de quodam homine rusticano & vano, nil prorsus sciente, ipsumque ab infirmitate, qua laborat, curaturum se iactante, cui ad obediendum ab Episcopo & Abbatibus & fratribus suis traditus erat. Ibi que cum eo manducantes, cum arbitraremur hominem tam infirmum, tantæque prouidentię commissum, sicut oportebat, procurandû, & videremus ei, agente medico suo illo, offerri cibos, quos sanus quis vix præ angustia famis attingeret: videbamus & tabescebamus, vix regulari silentio nos cohibente, quin in illum, quasi in sacrilegum & homicidam, ira & contumelijs insurgeremus. Ipse autem, in quem hæc fiebant, indifferenter cuncta sumens, æquè omnia approbabat, sicut qui sensu ipso corrupto & penè emortuo, sapore nil discernebat. Nam & sagimen crudum, per errorem sibi oblatum, pro butyro multis diebus noscitur comedisse: oleum bibisse, tanquam aquam, & multa talia contingebant ei. Solam quippè aquâ sibi sapere dicebat, eò quod cum eam sumeret, fauces & guttur ei refrigerabat. Sic ergo tunc eum inueni, & sic habitabat in illa solitudine sua vir ille Dei. Sed non erat solus, cum quo erat Deus, & custodia & consolatio sanctorum Angelorum. Quod etiam manifestis indicijs monstratum est. Nocte enim quadam solito attentius orando, effuderat super se animam suam: cum tenuiter soporatus, voces audiuit tanquam transeuntis multitudinis copiosæ. Euigilans autem, & voces easdem plenius audiens, cellam quoque,

Humanitas eius & hospitalitas quanta fuerit.

Vide infirmitatem & charitatem.

Affectus scriptoris vitæ eius erga sanctam religionem.

Discat huius exemplo superbi monachi subesse simplicitatis prælatibus.

Sûma eius patientia & mortificatio.

Vifio eius. quoque, in qua iacebat, egreditur, & persequitur abeuntes. Haud procul aberat locus densis adhuc spinarum vepriumque frutescens abundans: sed nunc longè mutatus ab illo. Super hunc aliquandiu stabant velut alternantes chori, hinc inde dispositi, & vir sanctus audiebat & delectabatur. Cuius tamen mysterium visionis non prius agnouit, quam translatis post aliquot annos ædificijs monasterij, eodem in loco positum oratorium cerneret, ubi voces illas audisset. Mansi autem ego indignus paucis diebus cum eo, & quocumque oculos verterem, mirans videbar quasi cælos mihi videre novos, & terram nouam, & antiquorum Aegyptiorum monachorum, patrum nostrorum, antiquas semitas, & in eis nostri temporis hominum recentia vestigia.

*Præclara in-
ria Clara-
uallensis mo-
nasterij.*

Erat enim tunc temporis videre Claraualis aurea secula, cum viri virtutis, olim diuites in seculo & honorati, tunc in paupertate Christi gloriantes, Ecclesiam Dei plantarent in sanguine suo, in labore & ærumnis, in fame & siti, in frigore & nuditate, in persecutionibus & contumelijs & angustijs multis, præparantes Clarauallem eam, quam habet hodie, sufficientiam & pacem. Neque enim se tam sibi, quam Christo & fratribus, ibidem Deo seruituris, viuere æstimantes, pro nihilo habebant, quicquid sibi deesset, dum relinquere post se, quod illis sufficeret, & ad subsidium necessitatis, & ad aliquam conscientiam voluntariæ pro Christo paupertatis, primaque facie ab introeuntibus Clarauallem, per descensum montis Deus in domibus eius cognosceretur, cum in simplicitate & humilitate ædificiorum, humilitatem & simplicitatem habitantium pauperum Christi vallis muta loqueretur. Denique in valle illa plena hominibus, in qua nemini licebat esse ociosum, omnibus laborantibus, & singulis circa iniuncta occupatis, media die mediæ noctis silentium à superuenientibus inueniebatur, præter laborum sonitus, vel si fratres in laude Dei occuparentur. Porro silentij ipsius ordo & fama tantam etiam apud seculares homines superuenientes sui faciebat reuerentiam, ut & ipsi non dicam praua vel ociosa, sed & aliquid etiam, quod ad rem attineret, ibi loqui vererentur. Loci verò illius solitudo inter opaca sylvarum, & vicinorum hinc inde montium angustias, in quo serui Dei latebant, speluncam illam sancti Benedicti patris nostri quodammodo representabat, in qua aliquando à pastoribus inuentus est: ut cuius imitabantur vitam, habitationis eius ac solitudinis formam aliquam habere viderentur. Omnes quippe etiam in multitudine, solitarij ibi erant. Vallem namque illam plenam hominibus, ut dictum est, ratione ordinis charitas ordinata singulis solitariam faciebat: quia sicut homo inordinatus, etiam cum solus est, ipse sibi turba est: sic ibi unitate spiritus & regularis lege silentij in multitudine hominum ordinata, solitudinem cordis sui singulis ordo ipse defendebat. Domibus & habitaculis simplicibus, victus inhabitantium persimilis erat. Panis non tam fureus, quam terreus videbatur, duris fratrum laboribus vix de terra deserti illius sterili productus, cætera quoque cibaria vix erant aliquid saporis habentia, præterquam fames seu amor Dei faciebat. Sed & ipsum nouitij feruoris simplicitas sibi tollebat, cum quasi venenum arbitantes, quicquid comedentem utcumque delectabat, recusarent dona Dei propter gratiam, quam in eis sentiebant. Cum enim circa omnigenus carnalis tolerantia cum adiutorio gratia Dei, studiū spiritualis patris in eis hoc effecisset, ut plurima, quæ homini in carne constituto impossibilia prius videbantur, iam non solum cõstanter peragerent & sine murmuratione, sed etiam cum ingenti delectatione: ipsa delectatio aliam in eis pepererat murmurationem, & eo periculosiorem, quo eam æstimabant quasi remotiorē à carne, spiritui propinquo rem. Persuasum quippe habentes, & quasi cum testimonio conscientia suæ memoriæ fideliter cõmendatum, inimicam esse animæ omnem delectationem carnis: quicquid carnem cum qualibet delectatione nutrire videretur, fugiendū arbitrabantur. Quasi enim per aliam viam reduci se putabant in regionem suam, cum præ dulcedine amoris interioris, amara aquæ ac dulcia delectabiliter edendo, delectabilius viuere in eremo sibi viderentur, quam prius vixissent in seculo. Cumque in hoc suspectam aliquatenus haberent spiritualis patris quotidianam correptionem, quasi carni eorum plus quam spiritui deferentem, aliquando ad iudicium Episcopi, qui tunc forte aderat, res delata est. Super quo vir ille potens in verbo, sermonem ad eos aggressus, ad eum finem perduxit, ut omnem hominem, qui quæcumque dona Dei recusaret propter gratiam Dei, inimicum esse gratia Dei, & spiritui sancto resistere pronunciatet. Ad ducta siquidem historia de Eliseo propheta, & filijs prophetarum, cum eo in desertis locis vitam eremiticam ducentibus, quomodo aliquando, cum ad horam refectiois ventum esset, amaritudo quædam mortis in olla decoctionis eorum inuen-

*Magnum
silentij fra-
trum.*

*Victus per-
tenuis &
horridus
fratrum.*

*Eccè quid
facit amor
Dei: sed ta-
men indi-
cretus hic
fuit fratrum
zelus.*

4. Reg. 4.

inuenta, per virtutē Dei & ministerium prophetæ per infusionem farinulæ dulcorata est: Olla, inquit, olla illa prophetica, olla vestra est, nil in se, nisi amaritudinem habens: farinula verò, amaritudinem in dulcedinem conuertens, gratia Dei operans est in vobis. Sumite ergò securi & cum gratiarum actione id, quod cum naturaliter minus aptum fuerit vsibus humanis, ad hoc per gratiam Dei vestris est vsibus aptatum, vt utamini & comedatis. In quo si inobedientes & increduli permanetis, resistitis spiritui sancto, & gratiæ eius ingratati estis.

4. Reg. 4.

CAP. VIII.

HAEC ergò fuit in tempore illo sub Abbate Bernardo & magisterio eius in clarissima & charissima valle illa spiritualium schola studiosior: hic feruor regulæ disciplinæ, omnia eo faciente & ordinante, & tabernaculum Deo in terris ædificante secundum exemplar, quod ei in monte ostensum est, cum in solitudine Cisterciensi cum Deo in nube habitaret. Et vtinam post rudimenta primæ eius conuersationis cum hominibus, postquam didicit aliquatenus & consuevit homo cum hominibus esse, & intelligere super egenum & pauperem, compatiendo infirmitatibus hominum, vtinam se circa semetipsum talem exhibuisset, qualem circa ceteros, tam benignum, tam discretum, tam sollicitum. Sed continuo, cum ab annuæ illius obedientiæ vinculo solutus, & sui iuris effectus est, velut arcus distentus, ad pristinum rigorem, & sicut torrens detentus & dimissus, ad prioris cursûs consuetudinem reuersus est: quasi repetens à semetipso poenas diutinæ illius quietis, & damna laboris intermissi. Videres hominem imbecillum & adhuc languidum, conari & aggredi quæcumque, vellet, minus considerare quid posset, & sollicitum pro omnibus, circa se negligentem, omnino in omnibus alijs obedientissimum, sed de seipso vix aliquando seu charitati, seu potestati obedientem. Semper enim priora sua nulla reputans, maiora moliebatur, & ad non parcendum corpori, ad studijs spiritualibus robur addendum: corpus suum, varijs infirmitatibus per se attenuatum, ieiunijs in super & vigilijs sine intermissione atterendo. Orabat stans die noctuque, donec deficeret, donec genua eius infirmata à ieiunio, & pedes eius à labore inflati, corpus sustinere non possent. Multo tempore & quam diu occultum esse potuit, cilicio ad carnem vsus est: vbi verò sciri aduertit, continuo illud abiiciens, ad communia se conuertit. Cibus eius, cum pane lac, vel aqua decoctionis leguminum, vel pultes erant, quales infantibus fieri solent. Cetera vel infirmitas eius non recipiebat, vel parsimoniam studio ipse recusabat. Vino si quando utebatur, raro & minus modico, cum magis aquam & infirmitati suæ, & appetitui competere testaretur. Sic autem affectus & confectus, à communi fratrum labore, seu diurno, seu nocturno, vix se aliquando patiebatur esse excusatum, seu ab occupationibus & laboribus ministerij sui. Videbant eum & conuersationem eius homines medici, & mirabantur, tantamque vim eum in seipso causabantur inferre naturæ, ac si agnus ad aratrum alligatus, arare cogere. Nam cum crebra illa ex corruptione stomachi per os eius indigestæ cruditis eruptio alijs inciperet esse molestior, maximè autem in choro psallentium, non tamen illic collectas fratrum deseruit: sed iuxta locum stationis suæ procurato ac defosso in terra receptaculo doloris illius, sic aliquandiu, prout potuit, necessitatē illā transegit. At vbi nec hoc permisit intolerantia rei, tunc demum collectas deserere, & seorsum habitare compulsus est, nisi quantum colloquutionis siue consolationis gratia, siue disciplina claustralis necessitate, conuentui eum fratrum aliquando interesse oportebat. Et hæc fuit tristis illa necessitas, qua primò sancta illa fraternitas, sanctæ illius paternitatis iugi consortio carere coacta est. In quo dolemus quidem & plangimus infirmitatis eius tristem effectum, sed sancti desiderij & spiritualis feruoris affectum veneramur: quamquam nec infirmitatis eius effectus vsquequaque plangendus sit & dolendus. Quid enim, si voluit sapientia Dei per infirma potius illius hominis tot tantaque confundere fortia mundi huius? Quid verò aliquando pro qualibet infirmitate eius remansit infectum, quod per eum secundum datam gratiam fieri oporteret? Quis enim nostra ætate, quantumvis robusti corporis & accuratæ valetudinis, tanta aliquando fecit, quanta iste moribundus & languidus, ad honorem Dei & sanctæ Ecclesiæ vtilitatem? Quantum postea numerum hominum verbo & exemplo traxit de seculo, non solum ad conuersionem, sed & ad perfectionem? Quantas per totum Christianum orbem constituit domos seu ciuitates refugij: vt quicumque peccauerint ad mortem, & æternæ

Magna viri
seueritas in
B. BernardoEius proceß
perpetua.

Cibus eius.

Multam na-
turæ suæ
vim inferit.Propter sto-
machi cru-
ditatem ni-
miam, cogi-
tur abesse à
fratrum cõ-
uentu.Multi eius
labores pro
Ecclesiæ &
fructus in-
gentes.

mortis rei iudicati fuerint, reminiscantur & conuertantur ad Dominum, & confiteantur ad eas, & saluentur in eis: Quæ schismata Ecclesiæ non sedauit: quas non confundit hæreses: & quam pacem inter dissidentes ecclesias & populos non restituit: Et hæc quidē cōmunia sunt. Ceterum quæ bona innumeris hominibus singulatim præstitit, pro causa, pro persona, pro tempore, pro loco, quis enumeret: Porro si nimicras in eo reprehenditur sancti feruoris, habet certè apud pias mentes excessus irreuerentiam suam: quia quicumque spiritu Dei aguntur, multum verentur reprehendere in seruo Dei nimiam istam nimietatem. Habet & facilem apud homines excusationem, cum vix audeat eum quisquam condemnare, quem Deus iustificat, tam multa, tam sublimia cum eo & per eum operando. Felix, cui soli reputatur ad culpam, quod ceteri sibi præsumere solent ad gloriam. Fuerat autem bono iuueni suspecta iuuentus sua, (beatus quippe, qui semper est pauidus) vnde fuerat ei studium, tantam virtutum plenitudinem, quam habebat ex gratia, aliqua etiam laboris sui conscientia cumulare. Sed & vita eius, quæ omnibus proponebatur imitanda, frugalis continentia exemplo carere non debuit. In quo seruus Dei etsi nimietate excessit, pijs certè mētibus non de nimietate, sed de feruore exemplum reliquit. Quid autem in hoc eum nitimur excusare, in quo ipse, qui veretur omnia opera sua, non confunditur vsque hodie se accusare, sacrilegum arguens semetipsum, quod seruituti Dei & fratrum abstulerit corpus suum, dum indiscreto feruore imbecille illud reddiderit ac penè inutile: Sed conualuit de infirmitate, & infirmus, fortior & potens factus est. Virtus nanque Dei, vehementius in infirmitate eius refulgens, extunc vsque hodie digniorem quandam te obedientiam. Iam enim tunc ad opus & virtutem prædicationis diuinitus aptabatur, ad quod, sicut supra dictum est, ex utero matris suæ, cum testimonio diuinæ reuelationis, olim fuerat præsignatus. Nec tunc tantummodo, sed & omni tempore conuersionis, & subiectionis, & prælationis suæ, ipso ordinante, quo & agente, congruo ordine ad hoc instituebatur, ignorans quid de se fieret: cum non solum monastico, sed & omni Ecclesiastico ordini in hoc præparabatur. Et primum quidem circa reuoluntatem in monastico ordine antiquæ religionis feruorem, primitias iuuentutis suæ dedicauit, exemplo & verbo cōuentui fratrum intrā septa monasterij ad hoc omnino studio vacans. Postmodum autem, cum ad alium vitam & conuersationis ordinem infirmitate corporis cogeretur, & sicut dictum est, necessitas infirmitatis & orationis, à communi eum conuersatione conuētus plus solito sequestraret, hæc prima cœpit esse occasio, vt quasi hominibus de seculo expositus, quorum iam ad eum multitudo magna cōfluebat, ipse etiam præsentiam suam liberius eis ac liberalius accommodans, verbum prædicaret. Cumque & longius aliquando à monasterio pro causis Ecclesiæ communibus obedientia traheretur, & quocumque veniret, vnde cum quæ locuturus, de Deo silere non posset, & agere quæ Dei sunt, non cessaret: sic in breui innotuit apud homines, vt Ecclesia Dei tam vtili membro in corpore suo reperto, tunc ad quodcumque oportebat, non dissimularer. Sed & licet à primo flore iuuentutis ætatis fructibus spiritus semper abundauerit, ab hoc tamen tempore copiosius ei ad data est, sicut Apostolus dicit, manifestatio spiritus ad vtilitatem, sermo scilicet fortior sapientiæ & scientiæ cum gratia prophetiæ, & operationes virtutum, & diuersarum opitulationes sanitarum. Quorum quædam, quæ certa narratione didici, qua fide à fidelibus mihi viris assignata sunt, eadem & ipse legentibus resigno.

CAP. IX.

Miracula eius. **P**rimum ergo signum hoc fuit, quod in manu serui sui mundo celebre Christus effecit. Cum aliquantos iam in Claraualle explisset annos, contigit Iobertum quendam nobilem virum de castello proximo, cui Firmitas nomen est, agrotare. Cumque ingrauescente subito ægritudine obmutesceret, & iam mori incipiens, sine viatico hinc abiret: cœperunt omnes eò magis dolore affligi, tam ipsius ægri filius aliter Iobertus, quam propinqui ceteri & amici, omnisque familia, quod sine confessione peccatorum & cōmunionis sacræ perceptione moreretur, vir honestus secundum seculum, & magnificè honoratus. Erat autem cognatus viri Dei secundum carnem. Cumque ad eum cucurrisset nuncius, rediens à monasterio trium Fontium, quod in parochia Catalaunensi primum omnium ipse fundauit, diuertit ad ecclesiam quandam, & pro eodem infirmo obtulit hostiam salutarem. Eadem autem hora in se re.

Non debet
in sanctis
viris repræ-
hendi teme-
rè feruor
nimius.

Prover. 28.

Iob. 9.

Hcb. 11.

Ad prædica-
tionem di-
uinitus or-
dinatur vt
patet cap. 1.
huius vitæ.
Est reforma-
tor ordinis.

Multi ad eum
seculares
confluunt.

1. Cor. 12.

se rediens homo, locutus est, & peccata sua cum lachrymis fatebatur. Sed vt diligenter probatum est, vbi sanctus vir sacrificium consummauit, ille quoque obmutuit, vt prius. Cum autem desideratus Christi seruus adesset cum Gerardo fratre suo & auunculo Galdrico, ab amicis ipsius obnixius rogabatur, vt pro eo oraret. Compasus autem tanto dolori, & confortatus in Domino, & bonitate & potentia virtutis eius, sancto sibi spiritu reuelante, cur hoc sibi accidisset, cum omni fiducia eis respondit, Scitis quanta mala fecerit homo iste, & quanta abstulerit. Reddat ablata, & consuetudines prauas super pauperes vsurpata, abneget tam ipse, quam filius & familia sua, & Christiano more morietur. Obstupere omnes ad tantam fidutiæ promissionem, eo quod ignota adhuc hominibus gratia erat diuinitus collata viro Dei. Maxime vero turbati & territi sunt qui venerant cum eo, frater & auunculus. Quid plura? Factum est quod præcepit, & continuo secutum est etiam quod promissum. Solutum est vinculum linguæ eius, cõfessus est cum gemitu & lachrymis peccata sua, cum magna deuotione deosculans manus eius, & accepto viatico communionis sacrae, rursus peractis omnibus, quæ facere eum oportebat, sequenti nocte in spe misericordiarum Dei expirauit.

Murus restituitur, dum pro eo sacrificium offert vir sanctus.

Reuertebatur etiam aliquando à pratis, & obuiam habuit mulierem, paruulum filium in brachijs deportantem, quem de longè attulerat ad eum, ab vtero matris habentem manum aridam, & brachium tortum. Motus autem lachrymis matris & precibus, iussit puerum deponi, factaque oratione, continuo signans puerum, & brachium, & manum eius, dixit mulieri, vt vocaret filium suum. Vocauit illa infantem, & occurrit, & utroque brachio amplexatus matrem suam, sanus factus est ex ea hora. Erant autem huius beati fratres & filij spirituales mirantes super his, quæ audiebant, & videbant de eo. Nec tamen more carnalium, in gloriam eleuabantur humanam, sed iuuenili eius ætati & nouæ adhuc cõuersationi, spirituali sollicitudine metuebant. In quo nimirum zelo Galdricus auunculus eius & Guido primogenitus fratrum, cæteros anteabant, vt ipsos geminos tanquam stimulos carnis suæ, ne gratiarum magnitudo eum extolleret, accepisse diuinitus videretur. Neque enim parebant, verbis durioribus exagitantem teneram verecundiam eius, calumniantes etiam bene gesta, signa omnia annihilantes, & hominem mansuetissimum nihilque contradicentem, frequenter vsq; ad lachrymas improprie & opprobrijs affligentes. Narrare solet venerabilis Episcopus Lingonensis Godefridus, sancti viri & propinquus sanguine, & in conuersione socius, & extunc per omnia indiuiduus comes, primo miraculo, quod per manus eius fieri vidit, prædictum germanum eius affuisse Guidonem. Erat enim eis transitus per castrum Nantonis in territorio Senonum, & iuuenis quidam, cuius pedem fistula occupauerat, prædicti patris tactum & benedictionem cum multa supplicatione petebat. Signatus autem, statim conualuit, & post paucissimos dies regressus per eundem locum, sanum atque incolumem inuenerunt. Cæterum sæpe dictus beati viri frater, ne ipso quidem poterat compefci miraculo, quod minus increparet eum, & præsumptionis argueret, quod acquieuerit tangere hominem, tanta siquidem charitate pro eo sollicitus fuit.

Pueri cuiusdam sanam manum aridam.

Increpatur à suis auunculo & fratre, ne sese extollat & superbiat.

CAP. X.

Circa idem tempus accidit, vt auunculus eius Galdricus, qui & ipse zelo simili eius mansuetudinem, sicut prædiximus, duris increpationibus obruebat, grauissimis febribus laboraret. Demum ingravescente morbo, ipsa doloris magnitudine superatus, Abbatem humili supplicatione compellit, vt sui misereatur, & opem sibi ferat, quam cæteris consuevit. At ille, cuius spiritus super mel dulcis, primum leniter breuitate commemorans crebras super huiusmodi obiurgationes ipsius, & imponens ei, ne forte hæc diceret tentans eum, persistenti tamen manum imponit, & febrem abscedere iubet. Nec mora, ad imperium eius reliquit eum febris, expertum in semet ipso, quod in cæteris arguebat. Et is quidem Galdricus, cum in Claraualle aliquot iam perageret annos, feruens spiritu, & totius boni amulator, ex luce migravit. Qui ante ferè vnã horam mortis, turbatus ad momentum, & toto corpore terribiliter motus infremuit, sed ad pristinam statim serenitatem reuersus, deinceps vultu placidissimo expirauit. Noluit autem Dominus sollicitum Abbatis animum huius rei cognitione fraudari. Si quidem post aliquot dies idem Galdricus apparens ei in visu notis, cum omnia erga se prospera esse sciscitanti responderet, & in magna segratula-

Liberat à febre.

Galdrici auunculi S. Bernardi obitus.

retur felicitate locatum, demum interrogatus est, quid sibi voluerit tam acerba illa in morte, tamque repentina commotio. Dicebat autem, quod duo spiritus nequam velut in puteum horrendæ profunditatis eum precipitare parassent, unde territus, ita contremuit: sed beato Petro accelerante ereptus, nihil sensit deinceps læsionis. Longum est cuncta enarrare, quæ super his, qui de hac vita discesserant, & eorum felicitate, seu etiam necessitate, diuina ei gratia reuelare ab ipsis inijs consuevit. Vnum tamen dicam, quod ob fratrum commonitionem aliquoties etiam ipse commemorare solebat. Frater quidam bonæ intentionis, sed durioris erga ceteros fratres conuersationis, & minus compatiens, quam deberet, in monasterio defunctus est. Post paucos autem dies viro Dei apparuit vultu lugubri & habitu miserabili, significans non ad votum cuncta sibi succedere. Interrogatus quid sibi esset, quatuor lacertis sese traditum querebatur. Ad quod verbum continuo impulsus est, & quasi precipitanter expulsus à facie viri Dei. Qui grauius ingemiscens, post tergum eius clamauit: Præcipio tibi in nomine Domini, vt qualiter tecum agatur, post paucos dies mihi iterum innotescas. Et conuersus ad orationem pro eo, & oblationem hostiæ salutaris, aliquos fratres etiam, quorum ampliorem nouerat sanctitatem, eidem similiter subuenire monebat. Nec verò destitit, donec post aliquot dies, sicut præceperat, per aliam reuelationem cognita eius liberatione, meruit consolari.

Nota poena
fratris de-
functi, erga
alios, dum
viueret, se-
uerioris.

Precibus li-
berat fratrem
à poena sui
purgatorij.

Epilepticus
sanatur.

Frumētum
fratrum diui-
nitus auge-
tur.

Eucharistia
asseruata,
pellit da-
monem.

Vir reuerentissimus Hunbertus, Igniacensis postea conobij ædificator, & primus pater, in Claraualle tam acriter morbo epilepsiæ laborabat, vt septies corruens vna die, demum etiam cerebro turbato, vix multorum manibus fratrum colligatus, in lectulo teneretur. Adueniens autem venerabilis Abbas, & sic ingeniens virum, quem pro sua sanctitate speciali venerabatur affectu, repletus est zelo, & ait: Quid facimus? Eamus, oremus. Vt autem ingressus oratorium genua flexit, prædictus vir inter manus tenentium obdormiuit. Qui sequenti die Dominica de manu eius sacramenta suscipiens, perfectam adeptus est sospitatem, vt nihil tale vnquam deinceps pateretur.

Circa hoc tempus in regno Galliæ & finitimis regionibus fames inualuit, seruerum suorum horrea, Domini benedictio cumulauit. Siquidem vsque ad annum illum nunquam eis laboris sui annona suffecerat: sed tunc post messem collectam, diligenter omnibus supputatis, vix vsque ad Pascha sibi sufficere æstimabant. Cum autem emere vellent, sumptus non inuenerunt, quod longè carius solito venderetur. Itaque à tempore Quadragesimali pauperum ad eos maxima multitudo confluxit. Quibus erogantes fideliter, quod habebant, Domino benedicente, ex modica illa annona vsque ad messem, ipsi pariter, & qui superueniebant, pauperes sustentabantur.

Virum pauperem, non longè à monasterio habitantem, vxor adultera maleficijs cruciabat. Sicut enim ei in ira & furore fuerat comminata, ita egerat per malignas incantationes, vt miser homo consumptis carnibus nec posset mori, nec viuere permitteretur. Sepius denique & vocis vsus, & sensum omnem corporis amittebat, iterumque redibat, non ad vitam, sed ad mortem prolixiorem crudeliter reuocatus. Adducitur tandem homo ad virum Dei in monasterio demorantem, & ei tragedia miserabilis explicatur. Qui vehementer indignans, antiqui hostis malitiam tantum sibi in Christianum vsurpasse, vocans duos ex fratribus ante sanctum altare hominem deportari, ibique superposito capiti eius vasculo Eucharistiam continente, in ipsius sacramenti virtute à læsione Christiani iubet demonem prohiberi. Factum est, vt præcepit, & miserum hominem post tantos cruciatus fides perfecta perfectæ reddidit sanitati.

CAP. XI.

ERat Robertus, eius sancti viri monachus, & secundum carnem propinquus, qui in adolescentia sua quorundam persuasionem deceptus, Clunia cum sese contulerat. Venerabilis autem Pater, postquam aliquandiu dissimulauit, eundem fratrem statuit per epistolam reuocare. Quo dictante, venerabilis Gulielmus, Rieualis postea monasterij primus Abbas, in membrana scribens, eandem excipiebat epistolam. Erant enim ambo pariter sub dio sedentes: ad dictandum quippe secretius, septa monasterij egressi fuerant. Subito autem inopinatus imber erupit, & is, qui scribebat, sicut ipso referente didicimus, chartam reponere voluit. Ad quem pater sanctus Opus, inquit, Dei est, scribere nè timeas. Scripsit ergo epistolam in medio imbre sine imbre. Cumque vndique plueret, chartam expositam virtus charitatis operuit, & quæ dicta.

Scribitur
Epistola ei

dictabat epistolam, schedelam quoque pariter conseruabat. Et hæc quidem episto-
la, ob tam grande miraculum, in codice epistolarum eius à fratribus non immerito
prima est ordinata.

Agebatur solennitas quædam præcipua; & frater aliquis, quem pro secreta culpa
ab altaris sacra communione suspenderat, notari timens, & ruborem non sustinens,
ad manum eius cum cæteris, nimium præsumptuosus, accessit. Intuitus autem eum,
quia causa lætēs erat, repellere hominem nolebat: sed intimo corde orabat Deum, vt
de tanta præsumptione melius aliquid ordinaret. Itaque sumens homo Eucharistiã,
non poterat ad interiora traicere: & diu multumq; conatus, cum nullo modo præ-
ualeret, anxius & tremebundus clausam ore seruabat. Expleta denique hora oratio.
nis Sexta, patrem sanctum traxit ad partem: cuius pedibus aduolutus, cum multis la-
chrymis ei, quod patiebatur, aperuit, & aperto ore, ipsam quoque Eucharistiã ostē-
debat. Increpans autem eum confitentem absoluit; & extunc sine difficultate rece-
pit Dominica sacramenta.

In minimis etiam rebus magna per eum nouimus contigisse. Venerat aliquandò
*Fuscina cum, quæ est Abbatia vna de primis, quam ipse ædificauit, in Laudunensi ter-
ritorio sita. Cumque ibidem oratorij dedicatio pararetur, ita illud occupauerat mu-
scarum incredibilis multitudo; vt earum sonitus improbusque discursus grauem ni-
mis introeuntibus molestiam generaret. Nullo ergò succurrendo remedio, dixit san-
ctus; Excommunico eas: & manè omnes mortuas inuenerunt. Cumque pauimentum
omne operuissent, palis eicientes eas, ita demum basilicam mundauerunt. Hoc au-
tem tam notum & tam celebre fuit; vt inter vicinos quoque, quorum ad dedicatio-
nem magna multitudo conuenit, muscarum Fuscinacensium maledictio in parabo-
lam verteretur.

In eo quoque monasterio, cui, Charus locus, est nomen, puerum quendam, qui
incessabiliter flebat & *vigilabat, vir sanctus osculo sanauit. Cum enim per multos
dies sine intermissione plorans, nullam reciperet consolationem, quod genus morbi
medici non ignorant, miserabiliter deficiens tabescebat. Quem seorsum alloquens
Pater sanctus, monebat vt suorum confessionem faceret delictorum. Facta autem
confessione, subito vultum serenans, petijt à beato Patre osculum sibi dari. Accep-
toque ex ore sancti osculo, in omni pace protinus quiescuit, & lachrymarum fonte sicca-
to, latus & incolumis regressus est in patriam suam.

Exeunte aliquandò Abbate post fratres reliquos ad laborem, filium claudum ei
quidam pater obtulit, supplicans, vt ei manum imponere dignaretur. Intumuerant
enim mirum in modum genua eius. Excusabat autem se vir Dei, dicens se non esse illius
meriti, à quo talia beneficia deberent postulari. Claudis reddere gressum, Apostolicæ
esse, non suæ, virtutis. Victus tandem patris instantia, signauit puerum ac dimisit. Qui
ex ea hora conualuit, & infra paucos dies, omni tumore deposito, ab eodem iterum
patre multa gratiarum adione reductus, incolumis oblatus est viro Dei.

Diuerit aliquandò nobilium cohors militum Clarauallensium, vt sanctum viderent
Abbatem. Propè autem erat sacrum Quadragesimæ tempus; Et illi omnes ferè iuue-
nes, dediti militiæ seculari, circumibant quærentes execrabiles illas nundinas, quas
vulgò torneas vocant. Cœpit itaque ab eis perere paucos illos, qui ante Quadragesi-
mam supererant dies, nè armis interim vterentur. Quibus obstinato animo eius ac-
quiescere monitis renuentibus? Confido, ait, in Domino, quoniam ipse mihi dabit
inducias, quas negatis. Et accessit fratre, iubet eis ceruisiam propinari, benedicens
eam, & dicens, vt potionē biberent animarum. Biberunt ergò pariter, quidam tamen
inuiti præ amore seculi, meruentes eum, quem postea experti sunt, diuinæ virtutis ef-
fectum. Vt enim egressi sunt fores monasterij, mutuis sese cœperunt inflammare ser-
monibus, quia cor eorum erat ardens in eis. Inspirante ergò Deo, & corrente veloci-
ter verbo eius, eadem hora reuersi, & conuersi à vitijs suis, spirituali militiæ dextrâs
dederunt. Quorum quidam adhuc militant Deo: quidam verò regnant cum eo, vin-
culis carnis absoluti.

Quid autem mirum, quòd deuotis hunc hominem colit obsequijs maior ætas, in
cuius deuotione diuina virtus ipsam quoque infantiam excitat, expertem adhuc ra-
tionis, & deuotionis ignaram? Norunt multi illustrem iuuenē Vualtherum de Mon-
te mirabili, cuius patruus frater Vualtherus inter eos, quos prædiximus, milites sacræ
in Claraualle militiam est professus. Hunc ergò Vualtherum minorem, cum adhuc

infantulus esset, & necdum ab ortu suo mensem tertium expleuisset, mater sua benedicendum obtulit viro Dei, gratulabunda & exultans, quod in domo sua mereretur habere tam sanctum virum. Cumque vir Dei, sicut semper in omni loco facere consueuerat, de salute & edificatione animarum ad circumpositos loqueretur, praedicti mater infantis, tenens eum in gremio, sedebat secus pedes eius. Accidit autem, ut inter loquendum manum aliquando protenderet, & apprehendere eam conaretur infantulus. Aduertitur autem conatus paruuli, cum sapius id fecisset, & mirantibus vniuersis, datur ei facultas, ut manum possit apprehendere, quam optauit. Tum vero mirum in modum cum reuerentia alteram manum suam supponens, altera tenens eam detulit ad os suum, & osculatus est eam. Neque id semel tantum, sed toties faciebat, quoties beatam manum tenere permissus est.

Sancta con-
fuctudo eius.

Infantulus
admodum
reuerenter
osculatur
manu eius.

CAP. XII.

Infirmabatur aliquando homo Dei, & velut riuulus quidam phlegmatis incessanter ab eius ore fluebat, vnde exhausto corpore vsquequaquē deficiens, paulominus ad extrema deuēnit. Couenerunt itaque filij & amici eius, velut ad exequias tanti patris, & ego ipse inter ceteros adfui, quod me quoque eius dignatio in amicorum numero reputaret. Cumque extremum spiritum iam trahere videretur, in excessu mentis sue ante tribunal Domini sibi visus est praesentari. Adfuit autem & satan ex aduerso, improbis eum accusationibus pulsans. Vbi vero ille omnia fuit profectus, & viro Dei esset pro sua parte dicendum, nihil territus aut turbatus, ait; Fateor, non sum dignus ego, nec proprijs possum meritis regnum obtinere caelorum. Ceterum duplici iure illud obtinens Dominus meus, hereditate scilicet patris, & merito passionis: altero ipse contentus, alterum mihi donat, ex cuius dono iure illud mihi vendicans, non confundor. In hoc verbo confusus inimicus, conuentus ille solutus, & homo Dei in se reuersus est. Rursus autem velut in litore quodam positus, videbatur sibi nauem, quae se transueheret, expectare. Cumque applicuisset nauis ad litus, festinabat ingredi, & illa cedens, impingebat in aquam. Vsq̄ tertio ita faciens, tandem relicto co, nauis ibat, & non reuertebatur. Intellexit autem proripiens, necdum tempus suae nauigationis adesse, adhuc tamen crescebat dolor, eo vtique magis molestus, quominus eum spes imminentis exitus solabatur. Contrigit autem aduersaescente iam die, vt ceteris fratribus iuxta consuetudinem accedentibus ad lectionem collationum, solus Abbas cum duobus fratribus sibi assistentibus remaneret in diuersorio, in quo iacebat. Cumque vehementius affligeretur, vt supra vires dolor accresceret, aduocans alterum e duobus, iubet citius oratum ire. Excusantem denique, & dicentem, Non sum ego talis orator, obedientiae auctoritate compellit. Itum est & oratum ad altaria, quae in eadem basilica erant tria, primum in honore beatae Dei genitricis, duo circumposita in honore beati Laurentij martyris, & beati Benedicti Abbatis. Eadem hora adfuit viro Dei praedicta beata virgo, duobus istis stipata ministris, beato scilicet Laurentio, & beato Benedicto. Aderant autem in ea suauitate & serenitate, quae eos decebant, & tam manifeste, vt ex ipso introitu cellulae, personas discerneret singulorum. Imponentesque ei manus, & loca doloris tactu pijsimo lenientes, omnem protinus aegritudinem depulerunt. Siccatus est enim ilico phlegmatis riuus, & dolor omnis abscellit.

Infirmatur
vsq; ad mor-
tem, S. Ber-
nardus.

In spiritu
raptus, ac-
curfantem
ipsum dia-
bolum mire
pudescit.

Apparet ei
beata Virgo
cu SS. Lau-
rentio &
Benedicto,
& sanat eu.

Author hu-
ius historiae
curatur ab
eo.

Cum autem & ego aegrotarem aliquando in domo nostra, & me iam nimium fatigasset & attriuisset in longum nimium se protendens aegritudo, audiens hoc, misit ad me fratrem suum, virum bonae memoriae Gerardum, mandans me venire ad Clarauallem, spondens me ibi cito aut curandum, aut moriturum. Ego vero quasi diuinitus accepta vel oblata facultate, seu apud eum moriendi, seu aliquandiu cum eo viuendi, quorum quid tunc maluerim, ignoro, profectus sum statim illuc, quantum cum labore nimio & dolore. Vbi factum est mihi, quod promissum fuerat, & fateor, sicut volui. Reddita mihi quippe sanitas est à magna & periculosa infirmitate, sed sensim & paulatim vires corporis redierunt. Deus enim bone, quid mihi boni contulit infirmitas illa, ferax illa, vacatio illa? Nam cooperabatur necessitati meae toto illo tempore infirmitatis meae apud eum infirmitas eius, qua & ipse tunc temporis detinebatur. Infirmi ergo ambo, tota die de spirituali physica animae conferebamus, de medicamentis virtutum, contra languores vitiorum. Itaque tunc mihi disseruit de Cantico Canticorum, quantum tempus infirmitatis meae permisit, moraliter tantum,

tum, intermissis alioribus mysterijs scripturæ illius: quia sic volebam, & sic petieram ab eo. Singulisque diebus, quæcunque super hoc audiebam, nè mihi effugerent, scripro alligabam, in quantum mihi Deus donabat, & memoria me iuuabat. In quo cum benigne & sine inuidia exponeret mihi & communicaret sententias intelligentiæ, & sensus experientiæ suæ, & multa docere niteretur inexpertum, quæ non nisi experiendo discuntur: etsi intelligere non poteram adhuc, quæ apponebantur mihi, plus tamen solito intelligere me faciebat, quicquid ad ea intelligenda deesset mihi. Sed de his hucusquæ dixisse sufficiat. Cum autem instante Dominica, quæ Septuagesima nominatur, vespera ipsa sabbati, Dominicam ipsam præcedentis, iam tantum conualuisssem, vt valuisssem de lecto surgere per me, & intrare possẽm & exire, cœpi disponere de reditu nostro ad fratres. Quod ipse auditum omninò prohibuit, & vsq; ad Dominicam Quinquagesimæ omnem mihi spem reditûs & conatum interdixit. Ac quieui facilè, cum quod præcipiebatur, voluntas non abnueret, & infirmitas requirere videretur. Cum autem vltra Dominicam illam Septuagesimæ à carnibus, quibus vsque ad diem illam ipso præcipiente, & necessitate infirmitatis cogente, vescerbar, vellem abstinere, & hoc ipsum prohibuit. Super quo cum nec prohibenti acquiescerem, nec rogantem audirem, nec obedirem præcipienti, sic vespere illo sabbati ab inuicem discessimus: ille tacitus ad completorium, ego ad lectum. Et ecce infirmitatis meæ rabies rediuita, quasi resumptis viribus omnibus, cum tâta me vehementia & ferocitate inuadens corripuit, tantaque me malignitate rota nocte illa deuastrando cruciauit supra vires, supra virtutem, vt de vita desperans, vix saltem vsque ad diem, vt vel semel adhuc loquerer viro Dei, crederem me victurum. Cumque in dolore illo totam noctem duxisssem, summo manè accersitus ille aduenit: nõ tamen afferens, quem solebat, vultum compatiens, sed quasi arguentis. Subridens tamen. Quid, inquit, hodiè comedetis? Ego verò, qui, hoc ipso tacente, hesternam inobedientiam certissimè interpretabar causam esse nocturnæ illius afflictionis meæ. Quicquid, inquam, præcipietis: Quiescite ergò, ait, non moriemini modò: & abijt. Et quid dicam? Confestim & omnis dolor abijt: nisi quòd fatigatus nocturno dolore illo meo, rota ipsa die vix de lecto surgere valui. Quis enim, aut qualis fuit ille dolor? non recolo similem me aliquandò fuisse perpeßum. In crastino autem sanus factus sum, & vires recepi: & paucis interpositis diebus, cum benedictione & gratia bona boni hospitatis mei, ad propria reuersus sum.

Idem ab eò
instruitur
in rebus di-
uinis.

Abbas Vuil-
helmus, dū
sancti viri
nõ obtem-
perat volū-
tati, in mor-
bum recidit

CAP. XIII.

Cumque dilectus Deo & hominibus Bernardus, in illa valle sua, & vicinis ciuitatibus & regionibus, quas aliquoties eum inuifere domesticæ curæ ratio cogebat, tantis floreret virtutibus & miraculis, cœpit etiam seu communibus ecclesiæ necessitatibus, seu charitate fratrum, seu obedientia maiorum, ad remotas pertrahi regiones, paces desperatas inter dissidentes Ecclesias & principes seculi reformare, causas humano sensui & consilio interminabiles, auxilio Dei pacificè terminare, & virtute potius fidei, quàm spiritu huius mudi de multis huiusmodi impossibilibus possibilita faciundo, quasi montes transferendo, in oculis omnium mirabilis & venerabilis magis ac magis apparere. Maximè verò intantum in eo enitescere cœpit virtus prædicationis, vt duræ etiam corda auditorum sæpè ad conuersionem emolliret, & vix ali- quândò vacuus domum rediret. Postmodum verò feliciter proficiente, & vsu sermo- nis, & exemplo conuersationis, rete verbi Dei in manu piscatoris Dei, tam copiosas piscium rationabilium multitudines cœpit concludere, vt de singulis eius capturis nauicula domus illius impleri posse videretur. Vndè factum est, vt in breui maiori miraculo, præ omnibus, quæ in hac vita gessit, miraculis, per vnum hominẽ languidum & seminecem, tantummodò loqui valentem, obscura vsq; ad illud tempus illa vallis, & re & nomine Claraualis efficeretur, diuinæ cuiusdã claritatis lumen, quasi de summo quodam apice virtutum, diffundens in deuexa terrarum, & extunc apud vallem illam, quæ prius dicebatur Vallis Absynthialis & amara, cœperunt montes stillare dulcedinem. Quæ vacua fuit & sterilis ab omni bono, cœpit abundare frumento, & de rore cæli & benedictione Dei, intantum pinguescere omnia deserta eius, & multiplicata gente magnificare lætitiã, vt impletum in ea videatur, quod olim per prophetam dictum est ad ciuitatem Hierusalem: Adhuc, inquit, dicet in auribus tuis filij sterilitatis suæ: Angustus est locus: fac locum, vt habitemus. Et dices in corde tuo; Quis

Multum
crecit opi-
nio sancti-
tatis eius.
Vis concio-
num eius.

Amos 4.

Esaie 40.

Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & nō parturiens: & istos quis enutriuit? Iam enim de locis angustiis vallis illius, domus claustralis habitationis, non sine diuinis quibusdam reuelationibus, translata in locum planiorem & spatiosum magnificatē & amplificata sunt; & adhuc multitudini inhabitantium angustus est.

Iam domus Ordinis illius, filia domus ipsius, citra & ultra Alpes & maria, deserta plurima impleuerunt; & adhuc sunt, & quotidie confluunt, quibus locus quaerendus est. Et petuntur vndique fratres, & mittuntur, cum beatos se aestimant reges gentium, & praesules ecclesiarum, ciuitates & regiones, quaecūq; de domo illa & disciplina viri Dei contubernium aliquod se gaudent adipisci. Quid dico? Ultra homines vsque ad barbaras nationes, in quibus naturalis feritas naturam quodammodo exiit humanam, religio haec profecta est, vbi per eam bestiae syluae, homines fiunt? & cum hominibus assuetæ conuersari, discunt cantare Domino canticum nouum. Quapropter piscator Dei, praecipiente Domino, nō cessat laxare retia in capturam; & alij abeuntibus, alij succedentibus in locum eorum, nunquam minuitur sanctae illius congregationis plenitudo. Hoc vsque nunc egerunt, & quotidie agunt mira eius captura, Catalaunensis, Rhemensis, Parisiensis, Moguntinensis, Leodiensis, & aliarum nonnullarum ciuitatum: Flandriae quoque, Germania, Italia, Aquitania, & aliarum regionum, quaecumque quacumque necessitate contigit aliquando, seu adhuc vsque hodie contingit virum Dei visitare. Cooperante siquidem gratia spiritus sancti, quocumque vadit, plenitudo redit; & sua eum plenitudo vbiq; committitur. Nec dimittit suos, quos à se transmittit, sed vbiq; sunt, & ipse semper paterna sollicitudine cum eis est. Et sicut ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur: sic ad ipsum quotidie seu lata, seu tristitia filiorum suorum. Saepè etiam sine omni relatione carnis & sanguinis, paterna eius sollicitudine diuinitus innotescit, quid circa aliquos eorum longe à se distantes agatur: si quid eis prouidendum, si quid in eis emendandum sit: tentationes & excessus eorum, infirmitates & obitus, & quarumlibet secularium tribulationum incurfus. Nam & pro absentium fratrum certis necessitatibus, praesentibus circa se fratribus saepè orationem indicit: nonnunquam etiam morientes in alijs locis, ad ipsum per visionem accessisse noscuntur, benedictionem eius & licentiam postulantes: nimirum agente hoc obedientia missorum, & charitate mittentis.

Eccle. 1.

Si homo in corpore de- gens, ita no- uit res ab- sentium: quanto ma- gis sancti in caelis?

Veneram aliquando ad eum; & dum loquerer ei, vidi & audiui, quod silere nō debeo: Aderat monachus quidam Fushiacensis, continuo ad suos rediturus. Cumq; responsio accepto super his, pro quibus venerat, iam ab eo egrederetur, in spiritu & virtute Eliae reuocans eum propheta Dei, & nomine fratris cuiusdam de domo illa praemisso, de occultis quibusdam, me audiente, mandauit ei, vt corrigenda corrigeret: in autem iudicium Dei super se in proximo expectaret. Stupefactus ille, quis ei haec dixerit, requisit. Quisquis, inquit, dixerit mihi: tu vade, & dic, quae ego dico tibi, nē, si dissimulaueris, te quoque inuoluat poena peccati. Mirabar super hoc: sed mirari mihi, in simili causa mirabiliora de eo narrata sunt.

Nouit oc- culta pecca- ta absentiu.

Guido nanque frater eius, maior natu inter fratres suos, cuius grauitatis & veritatis fuerit vir, omnes sciunt, qui scire eum potuerunt. Hic, cum simul alicubi essemus, & de huiusmodi loqueremur, & quaerere ego ab eo, sicut iucunda ad amicos collocationis esse solebat? Fabulae, inquit, sunt, quae auditis. Cumque suo more & solito studio fraternas virtutes deprimeret, mihi tamen nollet esse molestus? Quae, inquit, nescio, nō dico vobis: sed vnum narrabo, quod scio & expertus sum; multa ei in oratione reuelari. Deinde narrauit mihi, quomodo, cum primò melliflua illa spiritalium apum aluearia, noua de se examina circumquaque proferre, nouasque ex eis domos ordinis sui edificare coepissent? petente & agente domino Gulielmo Episcopo in Episcopatu Catalaunensi eam, quae trium Fontium dicitur, construxerūt. Ad quam cum Abbatem cum monachis emisisset dominum Rogerium, virum nobilem secundum seculum, sed nobiliorem sanctitate, & viros quosdam similis formae cum eo spiritalis pater filios, quos emisit, nō dimisit, sed paterna sollicitudine & pia affectione cum eis erat. Vnde cum die quadam simul soli essent Abbas & ipse frater eius, cuius hoc relatione didici, & de fratribus ipsis ad alterutrum loquerentur: subito altius solito suspirans, durius aliquid solito de eis corde suo sibi respondente: Vade, inquit fratri suo, ora pro eis: & quicquid ostenderit tibi Deus, refer ad me. Ipse enim grauissima valetudine ea hora laborans, in lectulo tenebatur. Ad quod ille vehemēter expauescens: Absit, inquit: nō sum, qui hoc modo nouerim orare, quod hoc merear impetrare. Perseuerante tamen

Guidonis, de fratre suo Bernar- do narratio

Abbas Ro- gerius qua- lis fuerit.

tamen eo in sententia, itum est & oratum. Ille igitur per singulos, in quantum praua-
luit, pro singulis fudit ad Deum animam suam: tantaque per singulos in orando per-
fusus est suauitate conscientia, tantaque impetrandi fiducia, & omni gratia spiritua-
lis consolationis, vt in omnibus certa fide exaudirum se exultaret spiritus eius, exce-
pris duobus, in quibus oratio titubauit, hæsitauit deuotio, fiducia defecit. Quod cum
retulisset ad eum, à quo missus erat, ille statim pronunciauit de illis duobus, quod post-
eà probauit euentus.

*Predicitur
tura de du-
obus fratri-
bus.*

Abbas autem Rogerius & alii, qui cum eo erant, ipsi fuerunt, quos vir Dei ali-
quandò de Catalaunensi traxit ciuitate, de quibus vel in quibus etiam tunc simile
quid factum fuerat. Cum enim gratia Episcopi Catalaunum frequentaret, rediens
aliquandò, traxit secum multitudinem copiosam nobilium & literatorum, cleri-
corum & laicorum. Quibus adhuc in domo hospitem demorantibus, dum nouel-
las plantationes caelestibus irrigaret eloquijs, superuenit portarius monachus, nun-
tians Stephanum de Vitreio magistrum eorum, adesse ad renunciandum seculo, &
cum eis commorandum. Quis alius de talis viri aduentu non exultasset vehementer,
cum vallis illa huiusmodi frumento non multum adhuc abundaret? Ipse verò, reue-
lante sibi spiritu sancto insidias spiritualis nequitiae, tacitus aliquantulum ingemi-
scens, erupit in vocem audientibus vniuersis; Malignus, ait, spiritus huc eum addu-
xit. Solus venit, solus reuertetur. Obstupuere omnes, qui prius, audito eius aduentu,
non se poterant capere præ lætitia. Veruntamen nè pusillos adhuc scandalizaret fi-
lios suos, suscepit hominem, & de perseverantia alijsque virtutum studijs studiosè
commonuit, & sciens & prouidens omnia promittentem, nihil acturum, cum verè
Deum quærentibus & perseverantibus, in cellam nouitiorum probandum intromisit.
Sed de omnibus, quæ prædixerat, nihil cecidit in terram. Vidit idem Stephanus, sicut
confessus est, cum in cella nouitiorum adhuc demoraretur, Maurulum quendam
puerum ab oratorio se extrahentem. Vbi sex ferme mensibus degens, nouissime ta-
men defecit, & vt de eo dictum fuerat, sicut solus venerat, sic solus recessit. Frustrata
est autem veritas inimici, & quem nouitiorum parauerat in ruinam, de ipsius ruina
ipsi confirmati sunt.

*Nota præ-
pheticam
gratiam.*

*Eccè tibi
insidias fa-
tant.*

Priusquam à Catalauno recedamus, cum aliquandò pater sanctus inde rediret, fri-
gore & vento tam ipse, quam qui cum ipso erant, grauius laborabant. Cumque præ-
cedentibus multis, qui tunc fortè in comitatu eius erant, nec præ angustia frigoris ad
eum attendentibus, penè solus ipse sequeretur: contigit equum vnius è duobus, qui
cum eo erant, incautè dimissum euadere, & excurrere per planitiem latè patentem.
Quem cum apprehendere non possent, & intemperies aeris ad hoc non permitte-
ret, vacare diutius: Oremus, inquit. Flexisque genibus in oratione cum fratre, qui
cum eo erat, vix adhuc Dominicam poterant orationem expleuisse, cum eccè equus
ille cum omni mansuetudine rediens, substitit ante pedes ipsius, & redditus est sesso-
ri suo.

*Ingens vis
preçù eius.*

Et vt à Catalauno ad Rhemensem ciuitatem pertranseamus, contigit aliquandò,
dissentientibus Archiepiscopo & populo Rhemenfi, ad conciliandos eos adesse vi-
rum Dei. Cumque in palatio eiusdem ciuitatis cum Iosleuo Suesionensi Episcopo
confedisset, & magna Cleri plebisque frequentia repleta domo, de pace tractaretur:
Eccè misera mulier coram omnibus filium suum plenum, vt putabatur, dæmone ei
offerens, misericordiam precabatur. Siquidè iam ipso die insurgens in matrem suam,
penè eam occiderat, & mutus effectus, & surdus, & cæcus, apertis oculis non videbat,
& stupentibus in eo sensibus omnibus, etiam sine intellectu permanebat. Compassus
verò miseræ matri, quam maximè sensus doloris illius exercebat, miser adole-
scenti blandiens, & pijs manibus caput eius & faciem demulcens, alloqui eum cœpit,
& quomodo in matrem suam manus mittere præsumpisset, sciscitari. Ille verò ad
se reuersus, peccatum suum continuò recognouit, & deinceps emendationem pro-
mittens, incolumis restitutus est matri suæ.

*Discordia-
rum conci-
liator S. Bernar-
dus.*

*En quàm
facile curat
tam miserū
hominem.*

In monasterio quoque, quod Alpense dicitur, inter cæteros, qui curam require-
bant, infirmos, venit ad eum mulier, quæ caduco morbo laborabat. Hæc in ipsa hora
cum staret coram eo, à repentino impetu mali illius corruit. Sed apprehensa manu
eius, continuò crexit eam, nec tantum in hora illa, sed perfecte omnino curata est ab
infirmate sua.

*Epilepticā
celerrimè
sanat.*

Præclara
conuersio
Ducissæ Lo-
taringiæ.

Gratiam
lachryma-
rum impe-
trare cui-
dam fratri.

Multos epi-
scopatus re-
cusat.

Magna eius
apud om-
nes autho-
ritas.

Luc. 10.

Ezech. 1.

Qui diligen-
tem se odit,
non inimi-
cus, sed ini-
quus dicen-
dus est.

Ducissa Lotaringiæ, foemina quidem secundum seculum nobilis, sed ignobiliter nimis victitans, cum vidisset aliquando in somnis illum hominem Dei, serpentes septem horribiles de utero eius, manibus proprijs extrahentem, postmodum ad religiosè viuendum commonitione & doctrina eius conuersa vsque hodiè se esse, de qua septem dæmonia eiecerit, gloriatur. Noui clericum quendam, Nicolaum nomine, seculo penè desperabiliter deditum, sed per eum de seculo liberatum: qui cum in Claraualle monasticæ conuersationis habitum & ordinem suscepisset, videns eos, qui de seculo illuc naufragio confugerant, naufragij sui damna continuis lachrymis redimere, idemque ipse facere volens, nec valens præ duritia cordis sui: rogabat eum cum magno cordis dolore, vt sibi impetraret à Domino gratiam lachrymarum. Orauit, tantamque ei & tam continuam impetrauit compunctionem cordis cum gratia lachrymarum, vt vix aliquando inueniretur vultus eius in diuersa mutari, vel oculi sine lachrymis, cum iret per viam, vel cum quolibet loqueretur.

Tot sunt & tâta, quas in hunc modum de eo audiimus & vidimus, virtutes & sanitates, & circa diuersas hominum necessitates diuersæ opitulationes, vt si omnes velim vel verbo vel scripto pronunciare, timeam nè fastidiosè incredulitatè, vel incredulis fastidium inueniantur generare. Aliquanta siquidè adhuc narrare volenti, plura se offerunt, non solù de præterito, sed & de præsentibus, quæ vsq; hodiè non desinit operari. In omnibus autem operibus suis quàm purus sit ei oculus intentionis, manifestè denunciat corpus lucidæ operationis. Summos quippè honores Ecclesiasticos, & secularium principum fauores, quasi dignū eum prosequentes, non iactanter respiciendo, sed religiosè & rationabiliter declinando, quid in omni operatione sua semper quaesierit, quid ambierit, manifestè declarat. Mediolani, Rhemis, Clero eligente, populo acclamante, in Archiepiscopum nominatus est: Catalauni, Lingonis in Episcopum: & id ipsum in multis iam alijs ciuitatibus actum fuisset, si consensus eius aliqua spes esse potuisset. Cumq; dignus esset vt cogeretur, nescio quo iudicio Dei & singulari reuerentia sanctitatis, iam olim apud omnes obtinuit, nè aliquando ad aliquid contra voluntatè suam cogatur. Sed cum hoc modo huius mudi modò fugit honorem, omnium honorum non effugit auctoritatem. Dignus in conscientijs omnium est, qui in timore & amore Dei timeatur & ametur: quo præsentibus, vbicumque fuerit, nil contra iustitiã audeatur: cui, vbicumque aliquid loquitur vel agit pro iustitia, ab omnibus obediatur. Et hac fulget auctoritate, vbicumque necessariū est in Ecclesia Dei, cum obedientia vel charitatis vrget necessitas, nullā refugit incommoditatem laboris sui. Cuius enim voluntati tantum detulit, cuius consilio sic se humiliavit omnis tam secularis quàm Ecclesiasticæ dignitatis altitudo: Reges superbi, principes & tyranni, milites seculi huius & raptores, sic eum timent & reuerentur, vt videatur in eis impletum, quod in Euangelio Dominus legitur dixisse discipulis suis: Ecce dedi vobis potestatem calcandi super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimicam, & nihil vobis nocebit. Porro inter spirituales, & vbi spiritualia spiritualiter examinantur, longè rei alia auctoritas est. Sicut enim dicitur per prophetam de sanctis animilibus, quia cum fieret vox super firmamentum, quod imminebat capiti eorum, stabant & submittebant alas suas: sic hodiè vbiq; terrarū spirituales quique, loquente eo seu tractante, stant, cedendo præcedenti, & sensibus eius seu intelligentijs submitunt sensus suos omnes & intelligentias suas. Testantur hoc scripta eius, quæ vel ipse scripsit, vel alij scripserunt, sicut ex ore eius exceperunt. Tanta ergo virum illum sanctum vsq; hodiè & apud Deum & homines commendant sacrarū insignia virtutum, testimonia circunvallant sanctitatis, charismata sancti spiritus illustrant: quodq; maius his omnibus & difficillimum est in humanis rebus, hæc ei omnia sine inuidia adesse videntur. Compescit autem ab eo inuidiã, quod omni inuidia maior est, in quantum nequitia cordis humani hoc sæpè cessat homini inuidere, quod non potest aspirare. Sed & ipse omnem inuidiam, aut mortificat exemplo humilitatis, aut mutat in melius prouocatione charitatis, aut si nequior aut durior est, obruit pondere auctoritatis.

Quis enim tam affectuosè peritiæ hodiè inuenitur ad fouendâ charitatem, vbi est: ad prouocandam, vbi nō est: tam, ad quoscunq; potest, beneficus, ad omnes beneuolus, tantam habens gratiam ad amicos, patientiam ad inimicos? Si tamen vllum aliquando habere potuit inimicum, qui nulli aliquando voluit inimicari. Sicut enim amicitia non nisi duorum est, nec nisi inter duos amicos haberi potest: sic nec inimicitia, nisi duorum

duorum inimicorum est. Qui enim odit diligentem se, non tam inimicus, quam iniquus est. Sed qui omnem hominem diligens, nullum aliquando inimicum habet virtute sua: nonnunquam est tamen quod patiat, inimicantem sibi gratis iniquitate aliena. Charitas autem, quae totum eum possidet, patiens est, benigna est, sapientia vincens malitiam, patientia impatientiam, superbiam humilitate. 1. Cor. 13.

*Ea, quae sequuntur, ad calcem primi Libri, eius auctore defuncto, adscriptit
Burchardus Abbas Balernensis.*

Rascripti opus, quod de vita sanctissimi viri Bernardi Claraualis Abbatis, à venerabili Vuilhelmo, pridem sancti Theodorici Abbate, sed tunc iam monacho Signiacensis cenobij, ad quod desiderio solitudinis & quietis sese contulerat, conscriptum est, usque ad tempus schismatis, aduersus Innocentium Papam à Petro Leonis conflat, digestum esse cognoscitur. Fuit autem praefato fideli viro specialis causa scribendi, amicitia & familiaritas, quibus viro Dei multo tempore coniunctus erat, vnde & tantam apud illum inuenerat gratiam, ut vix alter magis inueniretur intimus ad secreta communicanda mutuae dilectionis, ad spiritualium mysteriorum conferenda sacrosancta colloquia. Cuius familiaritatis gratia ex eo praecipue usque modo prodit ad manifestationem: quia plures epistolas idem sanctus scripsit ad illum, in quibus, quantum sentiat de illo, liquet manifestè legentibus illas. Scripsit etiam ad ipsum librum Apologeticum, & alterum De gratia & libero arbitrio. Fuit tamen eidem Vuilhelmo, speciali valentior, generalis causa scribendi, videlicet utilitas totius Ecclesiae Dei, nè cum absconditur vas plenum thesauro desiderabili, ipse quoque thesaurus pariter abscondatur. Vnde non immeritò conqueritur, qui exponi desiderat, dicens: Thesaurus inuisus, & sapientia abscondita, quae utilitas in vtrisque? Exponit iste diuitias salutis, thesaurum desiderabilem, nè lateat cum gleba, quod gleba non est, sed preciosissima margarita. Accidit tamen ei contra desiderium suum: quia, sicut ipse in praefatione sua veteri se denunciauit, praecipue occupatus morte, non expleuit, quantum animo conceperat stylo mandandum. Itaque qui accedit ad lectionem operis huius, facile satis intelliget, à qua perfectione pius puer & religiosus Bernardus, velut alter Benedictus, primordia conuersionis fuerit aggressus: qui & in vtero matris sanctificationem visus est accepisse, de qua concepta sunt praesagia futurae sanctitatis illius, vitae pariter & doctrinae. Sicut refertur de illo, nunquam suxit vbera nutricis, nisi matris: ut cum lacte piæ matris pietatem sugeret, non errorem. Sunt infantes, qui pendentes ad vbera matrum, vultu turbulento & toruis oculis praefigurant, quales sint futuri. Sunt & alij, qui lactantes, lactantium mammas pugnis & capitibus quasi furiosi contundunt. At infans Bernardus bonae indolis, exhibuit semper signa pietatis. De matris vtero exierunt cum illo indicia bonitatis, facies gratiosa, vultus placabilis, oculi columbini. Quicquid fuit illi ad indicium bonitatis ex dono naturae, per donum gratiae transiit in virtutem. Infans, nondum fans lingua, fari videbatur gratia iam accepta. Auulsus à lacte, & transiens iam in puerum, iam aliquid maturum praetendebat, puerilia iura transcendens. Quid agere coeperit etiam adolecens, in praescripto narratur opere, ac deinceps usque ad virum perfectionis depingitur diligenter, quantum, sicut iam dictum est, licuit optimo pictori, sed praecipue occupato.

Eccles. 28.

Domini
Vuilhelmus
primi libri
auctor vita
defungitur,
quae restant
à posteris
conferenda
da relin-
querentis.

Praefatio Bernardi Claraualis Abbatis, in secundum librum vitae beati Bernardi Claraualensis Abbatis, Ordinis Cisterciensis.

Virorum illustrium gesta nonnulli Scriptorum laudibus attollentes, verbis ea solennibus celebrarunt, quantum excellentis ingenij & disertae linguae potuere conamina. Cumque tractator & opus, iunctis complexibus pari sunt foedere coniugati, & ad propositum thema, ut dictum est, ordinandum, ingenium & eloquentia conuenerunt, prosperè actum est, & ad quietum tranquillumque portum directo cursu materia dignè ordinateque disposita appulit. Vbi verò sublimitas negocij sub imperito artifice naufraga eliditur scopulis, & succumbente sensus hebetudine, tractatoris lassatur praesumptio, serò de correctione instat consilium: quia quae in multos effusa sunt, nec reuocari possunt,
nec

nec corrigi, & dissonantiam scripti & operum venustius esset abradi, quàm emenda-
ri. Hæc ego mecùm reputans & reuoluens, omninò timeo, nè sicut ipse multorum
imprudentiæ soleo indignari, qui cum scientia & facundia careant, ad scribendum
præcipites, cum se vehemèter emunxerint, eliciunt sanguinem: ita & ego, si, quod su-
pra me est, aggrediar, meipsum derisioni exponam. Quis enim ego sum, qui ad scri-
benda gesta sanctissimi viri Bernardi Claraualis Abbatis adspirem, qui nostris tem-
poribus singulari religione floruit & doctrina, cuius odor exinanitus vniuersam re-
pleuit Ecclesiam, cuius gratia, cooperante Domino, signis & miraculis declaratur?

Multi litera-
ri, rhetores,
philosophi,
facti mona-
chi in Clara-
ualle.
Gen. 28.

Quor in monasterium eius literatos viros, quor rhetores, quor philosophos seculi hu-
ius scholæ miserunt ad conuersationem theoreticam & mores diuinos? Quæ non ibi
floruit disciplina, vbi erant examina magistrorum, & egregij viri, exercitato intellectu
insignes: qui adinucem diuinis studijs inhærentes, multis gratiarum authoramentis
inuicem seipsos edocent & accendunt? Quorum vnanimis vniuersitas cantat canticu
graduum, & ascendens cum Iacob, in summitate scalæ in decore suo Deum videt, ra-
diante corona perspicuū. Debuerant vtique viri illi, quibus nihil in aliqua gratia de-
est, hunc laborem assumere, & eorum esset, venerabili patri inscalpere monimèta, vt
esset eorum studio delectabilis pagina, quam quasi viuientem traderet legendam di-
scipulis, & perpes foret consolatio, secus positus reliquijs sacri corporis & sermonis.

Nota humi-
litem pri-
morum mo-
nachorum
Claraual-
lens.

Sed extrema æmulari, & quæ homines lateat, Claraualis cõsuevit humilitas: & pro-
ferre in publicum aliqua sui indicia, viri illi nobiles erubescunt, & quietiores eos facit
contemptus & abiectio, quàm quælibet oblatio dignitatis, in qua sibi professio humi-
litis periclitari videtur. Ob huiusmodi causas sese intra silentij cardines retinentes,
magis in sacco eremi, quàm in serico palatij delectantur: nec iam in stylo, sed in cruce
gloriam quærunt. In hoc ergò, sicut & in cæteris eiusmodi, negociorum suorum far-
cinas alijs libenter imponunt. Et nunc sublato venerabilis memoriæ domino Vuil-
helmo, qui eiusdem viri sancti & gloriosa primordia feliciter & deuotè conscripsit,
ad meam exiguitatem huius operis deuēnit petitio, & imposuit mihi dilectæ Ecce-
siae charitas, vt coquam pulmentum filijs prophetarum. In quo si colocyntidas misce-
ro negligens, superiecta, vt confido, farinula amaritudinem cõdiect Elifeus: & excessi-
sus insipientiæ, obedientiæ bonitas condonabit.

4. Reg. 4.

LIBER SECVNDVS CAPVT I.

Obitus Ho-
norij Papæ.



Innocenti-
substitutur
Petrus Leo-
nis Antipa-
pa.

A tempestate Honorius Papa, cuius adhuc instituta nitent & redo-
lent, viam vniuersæ carnis ingressus est. Nec mora, in electione dis-
sidētibus Cardinalibus, & diuisa Ecclesia, plures numero & senio-
res consilio, vita probabiles, viri virtutum, presbyteri, diacones, E-
piscopi, Innocentium elegerunt, cuius vita & fama & ætas & scien-
tia digna summo sacerdotio habebatur. At verò pars altera, infa-
mes ausus violentia, non ratione, corroborans, Petrum Leonis, ad

hunc apicem adspirantem, fraudulentis machinationibus seorsum & præcipitanter
nominauit Anaclerum, & cæteris renitentibus ordinauit. Qui verò in parte catholi-
ca erant, electum suum solenniter ordinatum collocarunt in cathedra, & per loca il-
la, in quibus sessiones habent ex antiqua consuetudine Romani Pontifices, circūdu-
xere, & pro tempore honor debitus Apostolicæ affuit dignitati. Extunc sanè circa La-
teranensè Palatium morabantur, nec erat eis iam tuta in domibus proprijs mansio,
cùm eos acerrimè Petrifatellites infestarent. Ibi etiam diu resistere non valentes, per
confederatos sibi quosdam ex nobilibus Romanis, ad tempus in turribus eorum re-
ceptacula habuerunt. Sed nec in eis perseuerauit fidelitas: nam in breui aut fortitudi-
ne temerariæ multitudinis, aut precio corrupti sunt. Nam Petro tam propria generis
virtute, quàm adhærentium sibi affinitate, multitudo tanta erat, vt ferè eum tota ciui-
tas sequeretur, vel pecunijs, vel commodis obligata. Congregauerat sanè opes innum-
eras in exactionibus curiæ, & in legationum negociationibus, quas ad expectandas
nundinas referuârât. Insuper ex * paternâ censûs ampla congerie, eatenus sigillata,
modò distributa in populum, ad fas, ad nefas venalem plebè armauerat. Quibus ero-
gatis, donaria Regum in ornamentis ecclesiæ ab ipsis euulsit altaribus: & cum calices
Petri Leonis sacrilegafrangere, & Crucifixos aureos mēbratim diuidere ipsi prophani Christiani vel time-
rent,

Persecutio-
eorum, qui
Innocentiū
elegerunt.

* paterni

Petri Leo-
nis sacrilega

rent, vel erubescerent, quæsi sunt Iudæi, qui ad derisionem religionis nostræ, sacra vasa & imagines Deo dicatas, audacter comminuerent. Igitur quisq; pro modo suo secundum maius & minus conducti ad scelus, sacramentis generalibus publice Petro vendidit assensum, & in omnem sanguinem manus exposuerunt & arma, & quotidianis congressibus partem, quæ cum Innocentio erat, maledictis insectabantur & gladijs. Habere igitur serui Dei consilium, & qui vi humana tueri se poterat, cedere elegerunt. Et protocatis clam nauigijs, de ore Leonis & de manu bestia per Tyberim in mare Tyrrhenum clapsi, prosperis ventis carbasa impellentibus, cito in portu Pisano feliciter appulerunt. Audito tantorum virorum aduentu, & cognita causa, propter quam de vrbe exierant, gratulata est Pifa, quod ad se Romani nominis gloria trãsseretur, & illis perpetuè sibi infamiae insculpentibus notam, sibi nominis aterni & perennis famæ inscriptio pararetur. Occurrunt ergo honorati & cõsules, & domini Papa pedibus aduoluti, gratias agunt, quod eos tãto dignos iudicasset honore, vt eorum eligeret urbem, quam propria dignaretur illustrare præsentia. Tua est, inquiunt, ciuitas, nos populus tuus: nostris stipendijs famulamur tibi: immò in vsus tuos respublica, quicquid apud se repositum habet, exponet. Nihil duplicitatis inuenies in Pisanis: non modò adhærebunt, modò resiliunt: modò iurabunt, modò iuramenta dissoluent. Non inhiat populus iste rapinis domesticis & cædibus intestinis. Non est gens nostra domi audax, nec extrã meticolosa. Nos nec serui sumus, nec domini: sed conciuces & fratres, honore inuicem præuenientes, non seditiosis ausibus alterutrum prouocantes. Domi mansuetudine vtimur: fortitudinem nostram sæpè extranei experiuntur. Nos, Pœnis subactis, & Balearibus insulis subiugatis, terra marique de piratis & dycolis triumphantes, Reges eorũ captiuos in vinculis Pisam induximus: de quorum spolijs & varia suppellectili hodiè in aduentu tuo ornantur compita & plateæ, & lætabunda ciuitas coronatur. Post huiusmodi verba populo obuiam procedente, præ innumerabili multitudine vix patebat aduenientibus via: sed pederentim procedentes, desideratam sui copiam prospicientibus per fenestras matronis & virginibus & paruulis Cardinales præbebant, & porrectis hinc inde benedictionibus, vsque ad beatæ Mariæ canonicam, dominus Papa cum comitatu suo gloriosè deductus, & honorificè susceptus est.

Præmissi, antequàm de vrbe egrederetur, à domino Papa in Gallias fuerant nuncij, qui dissensionis & schismatis à Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent ecclesiæ, & hortarentur Episcopos, vt in vltionem præsumptionis huius accingerentur, & damnata parte schismatica, subscriberent vnitati. Necdum verò ad plenum tenor operis innotuerat Episcopis, nec priuatim quisquã cõmodare præsumpsit consensum, donè collecto Stampis generali conuentu, in commune decernerent, quid reciperent, quid damnarent. Neq; enim Francia, cæteris regionibus procliuius ad schismata, aliquandò Guiberti vel Burdini susceptione foedata est, nec malignorũ acquieuit erroribus, nec fabricata est idolum in Ecclesia, nec venerata in Petri cathedra monstrũ. Nec enim talibus in causis principalia aliquando terruerunt edicta, aut generalibus vtilitatibus priuata cõmoda prætulerunt: nec declinantes in partem, personis detulere, sed causis. Sed si quid oportuit, fortiter persecutionibus obuiarunt, nec damna, nec exilia formidauerunt. Conuocato igitur ad Stampas concilio, Abbas sanctus Claraualensis Bernardus, specialiter ab ipso Rege & præcipuis quibusq; pontificibus accersitus, sicut postea fatebatur, non mediocriter pauidus & tremebundus aduenit, periculum quippe & pondus negocij non ignorans. In itinere tamen consolatus est eum Deus, ostendens ei in visu noctis, Ecclesiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, vnde sperauit pacem sine dubio prouenturam. Vbi verò ad locum ventum est, celebrato prius ieiunio, & precibus ad Deum fufis, cum de eodem verbo tractaturi Rex & Episcopi principesq; consedissent, omnium vnum consilium fuit, vna sententia, vt negocium Dei famulo imponeretur, & ex ore eius causa tota pendere. Quod ille, timens licet & tremens, monitis tamen fidelium virorum acquiescens, suscepit: & diligenter prosecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris, electi aperuit os suum, & spiritus sanctus impleuit illud. Vnus ergo omnium ore locutus, suscipiendum ab omnibus summum Pontificem Innocentium nominauit, & ratum esse omnes pariter acclamauerunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam dein ceps polliciti electioni Innocentij omnes pariter subscripserunt. Interea dominus Papa, multis in Pisis & in Tuscia, & in alijs prouincijs potestatiuè dispositis, valescens

barbaries in sacros calices & imagines Crucifixi.

Innocentius 2. Papa, in primis honorifice Pifis excipitur.

Pifani Pœnos & Baleares insulas subiugit.

Francia omnium olim Regionum Christianissima.

Synodus Stampensis in Gallijs.

Vifio S. Bernardi.

Vide quanti sit vir sanctissimus.

Innocentius Papa honorifice suscipitur in Galijs.

Pisanis & gratias agens, in Prouinciam nauigio delatus est: & Burgundiam transiens, Aurelianum peruénit. Vbi occurrentibus Episcopis, à Rege pijsimo Francorum Ludouico alacriter & honorifice susceptus est. Inde à Gaufrido Carnotensi Episcopo magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: vbi etiam Anglorum gloriosus Rex Henricus cum maximo ei Episcoporum & procerum comitatu occurrit. Hunc quòque Regem venerabilis Abbas ad eum præmissus adduxit: quem vix persuasit Innocentium recipere, ab Episcopis Angliæ penitus dissuasum. Cum enim omnimodis recalcitraret & detrectaret, ait: Quid times? Times peccatū incurrere, si obediās Innocentio? Cogita, inquit, quomodo de alijs peccatis respondeas Deo: istud mihi relinque: in me sit hoc peccatum. Ad hoc verbū persuasus Rex ille tam potens, etiā extra regnum suum domino Papæ occurrit vsq; Carnotum. Multa ibi dicta & facta sunt, multa que ibi secularia & ecclesiastica negocia definita. Reuersi de Germania legati domini Papæ, tam Episcoporum quàm Regis consensum & literas detulerunt, & deprecationē publicam, vt ad eos transiens, suā eis desideratā exhiberent præsentia. Facile enim persuasi sunt recipere eū, quem iam ceteri recepissent. Sed detinuit eū dilectio & deuotio ecclesiæ Gallicanæ, & singuli & omnes visitationē Apostolicā expetebant. Perlustrata igitur Francia, Rhemis conuocauit conciliū: in quo multis ad honorē Dei dispositis, Regem Ludouicū, viuentē patre, pro Philippo fratre coronauit in Regē, & vnxit. In omnibus dominus Papa Abbatē à se separari non patiebatur: sed cū Cardinalibus rebus publicis assidebat. Sed & priuatim, quotquot habebant negocia, virū Dei fecētius consulebant. Ipse verò audita referebat ad curiā, & oppressis patrocinia exhibebat. Igitur soluto concilio, Leodium dominus Papa Romanorū Regi occurrit, & honorifice quidē susceptus est, sed velociter obnubilata est illa serenitas. Siquidē importunē idem Rex institit, tempus se habere reputans opportunum, Episcoporum sibi restitui inuestituras, quas ab eius prædecessore Imperatore Henrico per maximos quidē labores & pericula multa, Romana Ecclesia vendicarat. Ad quod verbū expauere, & expalluere Romani, grauius se apud Leodium arbitrati periculū offendisse, quàm declinauerant Romæ. Nec consilium suppetebat, donèc murum se opposuit Abbas sanctus. Audaçter enim resistens Regi, verbū malignum mira libertate redarguit, mira autoritate compefcuit. Rediens autem à Leodio, Claraualē dominus Papa per se metipsum voluit visitare. Vbi à pauperibus Christi, non purpura & bysso ornatis, nec cum deauratis Euangelijs occurrentibus, sed pannosis agminibus scapulofam baiulātibz Crucem: non tumultuantium classicorum tonitruo, non clamosa iubilatione, sed suppressa modulatione affectuosissime susceptus est. Flebant Episcopi, flebat ipse summus Pontifex, & omnes mirabantur congregationis illius grauitatem, quòd in tam solenni gaudio omnium oculi humi defixi, nusquam vagabunda curiositate circumferrentur: complosis palpebris ipsi neminem viderent, & ab omnibus viderentur. Nihil in ecclesia illa vidit Romanus, quod cuperet: nulla ibi supellex, eorum sollicitauit ad spectum: nihil in oratorio nisi nudos viderit parietes. Solis moribus poterat inhiare ambitio: nec damnosa poterat esse fratribus huiusmodi præda, cum minui nō posset absportata religio. Gaudebant omnes in Domino, & solennitas non cibus, sed virtutibus agebatur. Panis ibi opicus, pro simila: pro careno, sapa: pro rhombis, olera: pro quibuslibet delicijs, legumina ponebantur. Si fortè piscis inuentus est, domino Papæ appositus est, & ad spectu, nō vsu, in commune profecit. Inuidit diabolus, & seruorum Dei gloriam, quos tanti hospitis nobilitauit præsentia, ferre non valens, dum in choro alacriter psallerent & deuotè, præsentibus etiam nonnullis ex Cardinalibus, qui in auditu & ad spectu eorum delectabantur, aliquantos fratrum horribili pauore turbauit. Nam & vnus præ cæteris occupatus, blasphemā quædam verba locutus: Discite, inquit, ego sum Christus, & alij plures territi & tremebundi, ad beati patris vestigia confugerunt. At ille cōuersus ad cæteros: Orate, inquit: ac deinceps sub silentio ipsos, qui turbati videbantur, eduxit atq; compefcuit: vt nequissimus ille, qui conuentum pietatis transferre conabatur in theatrū, & scholam innocentie in derisum, non, vt putabat, æstimationem religiosorum hominum corrumpere posset, sed se proderet, & conatus suos experiretur infirmos. Tanta siquidem celeritate omnia sunt sedata, vt personas illas, quæ propè adstant, omninò latuerit quod acciderat, & malignus hostis velociter increpatus, non modò scandalum eis, quod parabat, inferre nequie rit, sed nec ad illorum notitiam rem perferre factumq; est ex eo, vt diligenti sollicitudine & ampliori custodia se fratres munirent, & merito, & numero, & possessionibus deinceps

Item à Rege Angliæ.

Item à Germanis.

Concilium Rhemense, præfente Papa.

Imperatorē compefcit S. Bernardus.

Papa venit in Clarauallem.

Attende inuidiam diaboli, qui vt leo rugiens semper querit perturbare gregem Domini.

deinceps cresceret Claraualis: & multiplicatis conuentibus, ferè per omnem latitudinem loci illius dilataretur religio, ipse etiam Abbas sanctus amplius solito miraculis clareret & signis.

CAP. II.

Longas in Gallijs facere moras dominus Papa non potuit: sed sicut inter se & Regem Lotarium condixerant, Romam ei occurrit, & vi exercitus in Lateranenſe palatium deductus est. Multi etiam ex nobilibus Romanis, fideles Eccleſiæ, eum honorificè ſuſceperunt. Verùm Petrus Leonis, non ponens Deum adiutorem ſuum, ſed confœderatorum ſtipatus malitia, in editioribus & turrioribus turribus manens, Lotarij ludificauit virtutem: & interdicens ſuis congreſſus publicos, nec ſibi ſecuritatſ ſuæ fecit periculum, nec cauſas conſictus hoſtibus dedit: ſed tamen liberum eorum diſcurſum machinis ſuperioribus & obſtaculis varijs impediuit. Vitauit etiã obſtinatiſſimè Imperatoris colloquium, nec minis, nec blandimentis flexus eſt, nec de ſtatu ſuo conſilium cuiuſlibet perſonæ admittit. Reſicto igitur Romæ Innocentio, aliàs Imperator digreditur. Petrus verò poſt eius diſceſſum crebros moueus per urbem diſcurſus, fidelium cædibus inhiabat. Intelligens igitur Innocentius Romam ſibi inſuſceptam eo tempore, ad horã ceſſit, nè præſentia ſua illius beſtiæ rabiem efferaret: Et rursus Piſas reuertitur, ibiq; aggregatis totius Occidentis Epiſcopis, alijsq; religioſis viris, magnæ gloriæ ſynodus celebratur. Affuit per omnia & conſilij & iudicij, & diſſinitionibus omnibus ſanctus Abbas, impendebaturque ei reuerentia ab omnibus, & excubabant ante limina eius ſacerdotes: non quòd factus, ſed quòd multitudo communem prohiberet acceſſum: & alijs egredientibus, alij introibant, ita vt videtur vir humilis, & nihil ſibi de his honoribus arrogans, nõ eſſe in parte ſolicitudinis, ſed in plenitudine poteſtatis. Actioes concilij longum eſt proſequi: ſumma tamen in excommunicatione Petri, & irreſſibili * factorum eius deiectione conſtitit, & vſque hodiè hæc ſententia perſeuerat.

Soluto concilio, ad Mediolanenſes reconciliandos dominus Papa Abbatem Claraualis, quem multis ſupplicationibus expetièrant, & Guidonem Piſanum, & Matthæum Albanenſem Epiſcopum a latere ſuo direxit, qui ſchiſma per Anſelmum in eadem vrbe factum abluerent. Abbas ergò cum prædictis viris, quos à domino Papa collegas acceperat, addidit conſortio & communi conſilio virum venerabilem Gaudredum Carnotenſem Epiſcopum, cuius innocentiã & ſynceritatem in multis probauerat. Et viſum eſt Cardinalibus bonum, vt tanto adiutore negociũ tanti ponderis fulciretur. Tranſcenſo itaq; Appennino, vbi audièrunt Mediolanenſes, Abbatè deſideratum ſuis finibus propinquare, iogè à ciuitate milliarijs ſeptè omnis ei populis obuiat: nobiles, ignobiles, equites, pedites, mediocres, pauperes, quaſi de ciuitate migratèr, pprios lares deſerunt, & diſtinctis agminibus, incredibili reuerentia ſuſcipiunt. Omnes pariter delectantur adſpectu: felices ſe iudicant, qui eius poſſent frui auditu. Deoſculabantur pedes eius vniuerſi: & licet hæc ille moleſtè acciperet, nulla poterat pronos & deuotos ratione compeſcere, nulla interdictione repellere. Vellicabant etiam pilos, quos poterant, de indumentis eius, & ad morborum remedia de pannorum lacinijs aliquid detrahebant: omnia ſancta, quæ ille tetigiſſet, iudicantes, & ſe eorum taſtu vel vſu ſanctificari. Præcedèrès itaq; & ſubſequentes, lætabundis acclamationibus applaudebant Abbati, & diũ inter agminum ſpiſſam èra detentum, tandem ſolenni reddidèrè hoſpitiũ. Et cum tractatum eſſet in publico de negotio, propter quod tam vir Dei, quàm Cardinales aduenerat, oblita fortitudinis ſuæ ciuitas, omni feritate depoſita, ſe ita Abbati ſubſtrauit, vt obedientiæ eorum non incongruè illè poſſet aptari poëtæ verſiculus: Iuſſa ſequi, tam velle mihi, quàm poſſe, neceſſe eſt.

Pacatis omnibus reconciliata eccleſia, formatiſ inter plebes concordia pactioibus, alia coeperunt naſci negocia, & inſanienti diabolo, & in quibuſdam obſeſſis corporibus debacchanti oppoſitum eſt vexillum Chriſti, & inerepante viro Dei de poſſeſſis atrijs ſuperueniente eminèntiori virtute, territa & tremebunda diſſugèrè dæmonia. Ecce noua legatio, non Romanum pragma circunferens, ſed diuinis legibus fidei pragma allegans, prolatis in mediũ literis, ſanguine Chriſti conſcriptis, & bulla Crucis impreſſis: quæ figura authoritate ſua terreſtria & inferna ſibi ſubdit & curuat. Inaudita eſt noſtris tẽporibus tanta populi fides, tanta in homine virtus: inter quos religioſa erat contentio, cum ſignorum gloriã Abbas credulitati eorum, illi verò ſanctitati Abbatis aſcriberent, & hoc de eo indubitanter ſentirent, vt quicquid à Domino peteret, impetraret.

Innocentiu
Papa impe-
rator sedu-
cit in vrbe.

Petri Leo-
nis pertinacia.

Cruelitas
eius.

Concilium
Pisanum
preſente
Pontifice.

Factorum

Mediolanẽ-
ſium erga
S. Bernardũ
mirum ſtu-
dium & re-
uerentia.

Mediolanẽ-
ſes concili-
antur per
eum.

Fugati de-
mones ab
obſeſſis Me-
diano.

Adducunt ergo ad eum nihil hæsitates mulierem omnibus notam, quam septem annis immundus vexauerat spiritus: & postulât supplices, vt in nomine Domini dæmoni imperet fugam, & mulieri restituat sospitatem. Quæ populi fides nõ minimam verecundiam viro Dei ingerebat, & humilitate magistra confcius sibi, in consuetâ experiri non præsumebat: & instante petitione populi, erubescerebat, si charitati postulantium obstinatius resisteret: & videbatur ei, quod offenderet Deum, & omnipotentiam eius diffidētia obnubilare videretur, si à fide populi fides propria dissentiret. Aestuabat igitur secum, & licet signa non fidelibus fieri oportere assereret, ausus tamen fitos spiritui sancto committit: & orationi incumbens, calitius elapsa virtute, fatanam in spiritu fortitudinis increpat & fugat, mulierem reddit incolumem & quietam. Lætabantur qui aderant, & leuantes manus ad sidera, Deo, qui de excelso eos visitauit, gratias agunt. Auditum est verbum, & percubuit fama, & repente totam perculit urbem, per ecclesias, per prætoria, per compita omnia. Conueniunt vndique, de viro Dei sermo habetur vbique: dicitur publicè, nihil ei impossibile esse, quod à Domino postulet, & ad preces eius apertas Dei aures credunt, & dicunt, & prædicant, & affirmant. Nec possunt ad spectum eius vel auditu vllò modo cessari: irruunt alij in præsentiam eius: alij, donec exeat, præ foribus prætolantur. Cessatum est ab officijs & artibus: tota ciuitas in hoc spectaculum suspensa est. Concurrent, postulant benedicere: & tetigisse eum, singulis salutare videtur.

Tertia die ad ecclesiam sancti Ambrosij, diuina celebraturus mysteria seruus Dei procedit. Vbi expectante innumera populi multitudine, inter ipsarum Missarum solennia, dum clericis cernentibus ipse secus altare sederet, paruulam ei puellam offerentes, quam vehementi impetu vexabat diabolus, orant vt misellæ subueniat, & diabolus in eâ debacchantem elidat. Audita supplicatione adstantium, intuitus personam dentibus frendentem & stridentem, vt etiam intuentibus esset horrore: compausus est arati, & vehementia anxietatis illius condoluit. Patenam igitur calicis, in quo diuina celebraturus erat mysteria, postulat: in qua digitus superfuso latice, intra se orans & de Domini virtute confidens, ori puellæ salubrem potum applicat, & corpori eius stillam medicinalem infundit. Nec mora: quasi vreretur satanas, infusionis illius virtutem ferre non potuit: sed virgente intrinsecus Crucis antidoto, festinanter egrediens, vomitu sordidissimo tremebundus erupit. Sic persona purgata, diabolo profugo & confuso, laudes debitas canit ecclesia, & post acclamationes lætitudinis alacer populus ibidem, donec diuina compleantur mysteria, immobilis perseverat. Sub adpectu itaque omnium incolumis puella à suis domum reducit, & vix tandem à populo dimissus, ad hospitium viri Dei reuertitur. Nescio quo Dei iudicio, ea tempestate in Mediolano, iuxta illud Esaiæ verbum, pilosi clamabant, alter ad alterum, & occurrebant onocentauris dæmonia, & effrenatis discursibus plurimos infestabant, nec erat, qui insolentia eorum resisteret, cum diu sub Anselmi schismate, qui Petri fautor extiterat, sacerdotes gementes, virgines squalidæ, sanctificationis maledictæ, altare pollutum, iram Dei in populum prouocassent. At verò in viri Dei aduentu, abdicatis inde Anselmi præstigijs, & ad Sedis Apostolicæ obedientiam sub Innocentio renocata ecclesia, impedita illa dæmonum licentia, quotidie ad preces viri Dei diffugiebat diabolus, & si quando resistere conabatur, in ipso conflictu succumbens, gloriosius pellebatur.

CAP. III.

Inter eos ergo, qui vexabantur, mulier grandæua, cuius Mediolanensis, & honorata quondam matrona, vsque ad ecclesiam beati Ambrosij, post beatum virum à multis tracta est. In cuius pectore pluribus annis diabolus federat, & iam irâ suffocauerat eam, vt visu & auditu & verbo priuata, frendens dentibus, & linguam in modum promoscidis elephantinæ protendens, monstrum, non fœmina, videretur. Sordida effacies, vultus terribilis, flatus foetidus, inhabitatoris satanæ colluuiæ testabantur. Hanc cum adspexisset vir Dei, nouit in hærentem ei & inuisceratum diabolus, nec facile egressurum de domo, quam tanto possederat tempore. Cõuersus igitur ad populum, cuius innumera aderat multitudo, orare iubet attentius, & Clericis ac monachis, secum iuxta altare consistentibus, mulierem ibidem iubet constitui & teneri. Illa verò reluctans, & vi diabolica, non naturali virtute, recalcitrans, non sine aliorum iniuria ipsum Abbatem pede percussit. Quem diaboli ausum mansuetè ille contempsit, & in

Attende igni-
tatem eius cha-
ritatem.

1. Cor. 14.

Sanat dæ-
moniacam,
admiranda
populi gra-
tulatione &
applausu.

Aqua digi-
tis suis infu-
sa curat pu-
ellam dæ-
moniacam.

Esaiæ 34.

Nota in
schismate
licentiam
dæmonum
& seuitiam
apud Medi-
olanenses.

eius expulsionem, non indignatione iræ, sed pacifica & humili supplicatione, Deū inuocat adiutorem, & ad immolationem hostiæ salutaris accedit. Quoties tamen eandem hostiā signat, toties ad mulierem conuersus, eodem signo Crucis edito, spiritum nequā fortis athleta impugnat. Nam & ille malignus, quoties aduersus eum signum Crucis intenditur, percussus se indicans, acrius sauit: & recalcitrans contra stimulum, quidnam toleret, prodit inuitus. Expleta autem oratione Dominica, efficacius hostem aggreditur vir beatus. Patenæ siquidem calicis sacrum Domini corpus imponens, & mulieris capiti superponens, talia loquebatur: Adest, inique spiritus, in dextris, adest summa potestas: iam resiste, si potes. Adest ille, qui pro nostra salute passus: Nunc, inquit, princeps huius mundi eijcitur foras. Hic illud corpus, quod de corpore Virginis sumptum est, quod in stipite Crucis extensum est, quod in tumulo iacuit, quod de morte surrexit, quod videntibus discipulis ascendit in cælum. In huius ergo maiestatis terribili potestate tibi spiritus maligne præcipio, vt ab hac ancilla eius egrediens, contingere eam deinceps non præsumas. Cumque eam inuitus deserens, & vltra manere non valens, atrocitè affligeret, tam magnam iram, quam modicum tempus, habens: rediens sanctus pater ad altare, fractionem hostiæ salutaris ritè compleuit, diffundendamque in populo pacem ministro dedit: & confestim pax & salus integra reddita est mulieri, & iniquus ille viuifica mysteria quæ sint efficacis & virtutis, non confessione, sed fuga coactus, ostendit. Fugato diabolo, mulier, quam in tantorum sartagine tormentorum carnifex pestilens tanto tempore frixerat, mentis sue compos effecta, redditis cum ratione sensibus, reuoluta intrâ fauces lingua, confessâ Deum, gratias egit, & intuita curatorem suum, pedibus eius aduoluta est.

Ingens per ecclesiam attollitur clamor: omnis ætas iubilat Deo: personæ aramenta: benedicuntur ab omnibus Deus: excedit veneratio modum, & seruum Dei supra hominem, si dici fas est, liquefacta charitate ciuitas veneratur. Audiebantur hæc, quæ Mediolani fiebant, & per totam Italiam viri Dei discurrebat opinio, & diuulgabatur vbique, quod surrexisset propheta magnus, potens in opere & sermone: qui inuocato nomine Christi, & infirmos curaret, & obsessos à dæmonibus liberaret. Maxima quidem ei erat in curationibus ægritudinum gratia, sed in dæmonibus eliminandis frequentior operatio erat: quia copiosior vexatorum numerus ad experta subsidia curabat, & maiorum operatio virtutum, minores obscurabat effectus. Iam verò præ frequentia populi, qui à mane vsque ad vesperam foribus assidebat, oppressiones vili propter corporis imbecillitatem non ferens, ad fenestras domus procedens, se eis conspendum præbebat, & eleuata manu benedicebat eis: panes quoque & aquam deuehebant secum, quibus benedictioni eius suppositis, domum ea pro beneficijs sacramentalibus referabant. Ex vicinis sanè castellis, & vicis, & vrbibus multi ad virum Dei confluxerant, & communia tam aduenarum quam ciuium in Mediolano studia erant, prosequi sanctum, expetere beneficium, audire verbum, videre signum: & doctrina ac miraculis vltra, quam credibile est, delectabantur.

Aderat inter eos quidam ex suburbanis, qui puerum dæmoniacum illic adduxerat. Qui repente coram omnibus, ad signum Crucis quod vir Dei edidit, de baiuli sui brachijs ruit, & elusus humi, quasi mortuus sine vlllo sensu immobilis visus est: neque vox, neque halitus erat in eo: tantum circa præcordia exiguus ei supererat vapor. Dant ei cæteri locum, vt posset procedere & admitti ad virum Dei: femineis pueri baiulus, & attonita multitudo, tam miserabilis casus præstolabatur euentum. Ingressus igitur ad virum Dei homo est, & puerum stupidum, nec aliquid sentientem ante pedes Abbatris exposuit, & ait: Puer iste, domine pater, quem ante pedes tuos posui, iam triennio est vexatus à dæmone acerrimè, & quoties vel ecclesiam ingreditur, vel salibus exorcizatis adspargitur, vel signum ei Crucis imponitur, vel Euangelium audire compellitur, vel diuinis interest sacramētis, offenditur habitator eius diabolus, & torquetur atrocitè. Dumque modò cum cæteris ego pro foribus expectarem, signum sanctæ Crucis figurante te, & extēdente in populos manum, sacramentalium signorum virtute exacerbatus diabolus, vehemētius solito totus ad pueri vexationem se contulit, & sicut vides, totum corpus eius occupans, ferè etiam ei vitalem spiritum interclusit. Sed & ipse puer, cum audita esset apud nos gratia, quam à Deo accepisti, opinio: ex aliorum curationibus suam speras salutem, rogauit me, vt ad te eum adducerem. Obsecro igitur per misericordiam Dei, vt & laboribus meis, qui in eius custodia operam damnosam & periculosam impendo, & illius miseris, quæ tanta est, quantam ipse o-

Non fert signum Crucis impius dæmon.

De corpore Christi præsentia in Eucharistia, habes hic exemplum memorabile. Iohan. 12.

Dæmoniaci restituntur sanitati.

En quanti facit religio in plebs Mediolanensium. panes & aqua à viro Dei benedicta

Nota quibus rebus crucietur diabolus, & eius administri hæretici.

culis probas, pio & consueto affectu subuenias, & rabiem dæmonis nō vsquequaque procedere patiaris. Flebat igitur, & lachrymis ora perfusus, præsentibus quoque com-

Aut de vir-
tutem signi
& Crucis.

Tunc vir Dei, considerare eos in Dei misericordia iubens, baculo arundineo, cui in-
nitebatur, collum pueri leniter tangit. Sed & frater eius Gerardus, volens experiri,
qua à rustico dicta fuerant, latenter dorso eius signum Crucis impressit. Cumq; prius
sine motu & sensu, nec vidēs, nec audiens, ante pedes Abbatis diū extensus pauimen-
to hæsisset, ad tactum baculi & ad signum Crucis infremuit, & turbatus ingemuit. Iu-
ber igitur Abbas super proprium lectum eum poni. At ille, quasi ex iniuria offensus,
reiecit se in pavementum, & stridebat dentibus, & mordebat procuratorem suum: &
capillis eorum, qui aderant, manus injiciens, quo poterat conatu, se ab eorum mani-
bus abstrahebat, & ab eis vix teneri poterat. Eia (inquit Abbas) ad lectum nostrum
eum reducite. Orante itaque Abbate, & fratribus in oratione prostratis, quasi arden-
tibus paleis, qua in lecto continebantur, diabolus vreretur, tormento æstuantis vi di-
uina propinquante, passionem clamoribus testabatur. Iuber ergo vir sanctus in os pa-
tientis aquam benedictam infundi. Quam ille pressis labijs & dentibus non admit-
tens, vix tandem cuneo infixio dissolvente pressuram, vellet nollet, intrā fauces &
guttur recepit. Confestim que vt penetrans sanctificatio ad interiora descēdit, quasi
infuso antidoto, vis maligna erupit, & vomitu sordidissimo, quasi torrentis impul-
su, festina præcipatione rotatus, cū ingenti contumelia dæmon exiuit. Repente, qui
videbatur mortuus, viuit: & de lecto Abbatis quietus & incolumis surgēs, patrum
que amplexatus: Deo gratias, sanus sum, inquit. Gratias agunt omnes communiter
Deo, & qui modò flebant, latabantur: foris clamor effunditur: res intus gesta, supra
tecta solenniter prædicatur: tota ad spectaculum conuenit ciuitas: benedictus Deus
in Abbate, tanti operis patrator, totius plebis requiescit affectus.

Vide quā
torquetur
diaboli
aqua bene-
dicta.

Multos cu-
rat morbi-
dos aqua be-
nedicta &
Crucis si-
gno.

Febrcitantibus multis idem sanctus manus imponens, & aquam benedictam por-
rigens ad bibendū, sanitatē obtinuit: aridas manus & membra paralyti dissoluta tan-
gens, incolumitati restituit: cæcis etiā sub multorum testimonio in eadem ciuitate,
vt viderent, imposito signo Crucis, à patre luminum potēter obtinuit. Per idem tem-
pus Albanensis Episcopi, quem Dominus Papa in eadem legatione sibi collegam de-
derat, gratia tractandorum negociorum hospitium intrauerat, & de his, qua iniun-
cta fuerant, agebant ad inuicē: cū repente irruit super eos adolefcens, cuius arida
erat manus & retorta ad brachium: & aduolutus pedibus eius, suppliciter postulat sa-
nitatem. Ille aliās occupatus, benedixit quidem & abire præcepit, & nē amplius sibi
molestiam faceret, verbis solito seuerioribus interdixit. Recedebat ille, non consecu-
tus quod quæsierat, cū venerabilis Episcopus sub omni celeritate eum regredi iu-
bet, & manu arreptum tradit Abbati: Huic, inquit, qui minimè beneficiū consecutus,
tibi vt recederet, obediuit, tu nē claudas viscera misericordie: quin potius tu obēdi,
& virtute obedientie, me iubente, adstrictus, fac quod postulat, largire quod petit: &
confidens in eius virtute, per quem expetit sanitatem, postula, & impetrabis: vt & tu
de Dei munere, & ille de optata gloriatur salute. Ad præceptum Episcopi Abbas ap-
prehensa manu pueri, inuocauit Dominum, & exaudiuit eum: & signo Crucis edito,
nerui, qui obriguerant, extensi sunt, & caro, quam assidens congelauerat morbus, re-
deunte sospitate ita mobilis facta est & flexibilis, vt dicto citius languidum diū mem-
brum conualuerit. Obstupuit Episcopus, tam repentinæ virtutis admirās effectum, &
mira extunc veneratione virum Dei coluit, & miraculorum eius ipse testis extitit &
relator. Coëgit igitur Abbatem, vt secum ea nocte cœnaret: Cuius rei assensum vix
& cum magna difficultate obtinuit, ea duntaxat ratione suam, quod intolerabilis
populus vndique expectaret, nec sine periculo egredi posse videretur. Inter cœnandū
verò, paropsidem, in qua Abbas comederat, Episcopus ministro familiari seruadum
tradidit, & præcepit, vt seorsum reconditam, cum omni diligentia custodiret. Elapsis
exinde aliquot diebus, idem Episcopus febrium vehemēti ardore corripitur: & re-
cordatus hominis Dei, familiarem iubet accersiri ministrum: Discum, inquit, Abba-
tis, quem nupèr tradidi conseruandum, huc aduehere nē cuncteris. Cumque ille ob-
tulisset allatum: Infunde, inquit, aquam in eo, & panis exiguas buccellas conscinde.
Quod cum factum esset, confidens in Domino, & Abbatis precibus se commendans,
comēdit & bibit, & absque dilatione conualuit.

Manū aridā
celeritē
fanat.

Nota lector
de paropsi-
de, vnde vir
Dei come-
derat.

Augebatur aduentantium numerus, & mirifica opera populos ad se innitabant,
nec

nec vquam viro Dei dabatur requies, dum ex lassitudine eius alij sibi requiem procurarent. Abeuntibus occurrebant aduenientes, & succedebant sibi beneficia mendicantes. Inter quos miles quidam in vlnis suis puellam ad virum Dei attulit, quæ ita exosam habebat lucem, vt semper clausis palpebris, etiam brachium opponeret oculis, ne aliquo modo aliqua lucis particula se ei ingereret. Auellebantur aliquadò opposita brachia violenter, & cum ei lumen se infunderet, clamabat & flebat: & erat ei claritas pro cruciatu, & lux visa quasi aculeos eius cerebro infigebat. Benedicti fantula vir Dei, & signaculum Crucis faciens super eam, tranquillior dimittit: & dum domum referretur, vltro aperit oculos, & pedes sine vectore ipsa reuertitur. Et ipso in loco mulieri à demonio vexata, multis adstantibus, à patre misericordiarum idem sanctus obtinuit sanitatem.

Signo Crucis sanat oculos puellæ item demoniacam.

CAP. IIII.

Am Papiam aduenerat, & fama virtutum aduentum eius præcesserat, & cum debito gaudio & apparatu tanta gloria virum ciuitas lætabunda suscepit. Et nè diu populi desiderium dilatio suspenderet, qui, sicut Mediolani miracula facta audierat, signum ab eo optabat videre: aduenit post eum repente rusticus quidam, qui de Mediolano secutus eum fuerat, vxorem demoniacam secum adducens, quam ante pedes eius, lachrymabili voce intrinsecas protestans anxietates, deposuit. Nec mora: in contumeliam Abbatis per os miseræ mulieris diabolus locutus est, & irridens seruum Dei: Non me, inquit, de anicula mea hic, porrulos edens & brassicas deuorans, expeller. Multa in hunc modum in virum Dei iactabat conuicia, vt blasphemijs prouocatus, impatienter ferret opprobria, & confunderetur in præsentia populi, cum lacefferi se indignis audiret sermonibus. Sed vir Dei astutias eius intelligens, irrisorem irrisit, & vltionem ipse non expetens, sed ad Deum remittens, ad ecclesiam sancti Syri demoniacam duci præcepit. Voluit quippè curationis illius gloriam dare martyri, & primitias operationum virtuti eius ascribi. At verò sanctus Syrus ad hospitem suum remisit negocium, nec in ecclesia sua quippiam sibi deferens, intactum opus reduci ad Abbatem voluit. Reducitur igitur mulier ad Abbatis hospitium, garriente per os eius diabolo, & dicente: Non me Syrus, nec te Bernardus eijciet: non me expeller Bernardulus. Ad hæc seruus Dei respondit: Nò te Syrus, nec te Bernardus eijciet: sed Dominus Iesus Christus. Et conuersus ad orationem, pro salute mulieris Domino supplicabat. Tunc verò spiritus nequam, velut priori improbitate mutata: Quam libens, inquit, egrederer ab hac anicula mea, nihil in ea sentiens, nisi molestiâ magnâ: quam libens egrederer, sed non possum. Interrogatus causam: Quia necdum vult magnus Dominus, inquit, Cui sanctus: Et quis est magnus Dominus? Et ille: Iesus Nazarenus. Ad quæ rursum vir Dei: Vnde enim Iesum nosti, aut si vquam eum vidisti? Vidi, inquit. Vbinam eum vidisti? In gloria. Et tu in gloria fuisti? Fui quidem. Et quomodo inde existi? Cum Lucifero, inquit, multi cecidimus. Hæc autem omnia voce lugubri per os vetula, audientibus omnibus, loquebatur. Respondente autem sancto Abbate: Nunquid in illam gloriam redire velles, & restitui in gradum pristinum? Rursum voce mutata, & miro modo cachinnans: Hoc, inquit, tardum est. Et nihil vltra loquens, orante tentius viro Dei, nequissimus ille victus abscessit, & mulier sibi reddita sanitate, quantas potuit gratias egit. Reuertitur ergo vir cum muliere, per totam viam incolumitati eius congaudens: expectantibus amicis, domui suæ redditur. Lætabantur omnes, qui ordinem rei gestæ audièrant: sed repète gaudium vertitur in mœrorem: quia vbi domus suæ limina attigit, rursus intrat diabolus in eam, & infestior solito, miseram discerpit atrocius. Quid faceret miser maritus, quò se verteret, nesciebat. Cohabitare cum demoniaca, molestissimum: relinquere, impium videbatur. Surgit igitur, & assumpta secum muliere, rursus Papiam reuertitur. Vbi cum virum Dei non inuenisset, vsque Cremonam prosequitur abeuntem. Indicat, quid factum sit, & vt gratiam inueniat, lachrymabiliter deprecatur. Nec defuit piæ petitioni Abbatis clementia: sed præcipit, vt Ecclesiam ciuitatis illius ingrediatur, & ante confessorum corpora orans expectet donèc ipse sequatur. Itaque memor promissi, circa noctis crepusculum, cæteris dormitum euntibus, ipse, vno tantum prosequente, Ecclesiam ingreditur, & tota nocte illa orationi vacans, obtinuit à Domino, quod petebat: & impetrata mulieri sanitate, iubet eam securè reuerti ad propria. Sed cum reditum ad se diaboli, sicut iam experta fuerat, formidaret, collo eius alligari chartulam, hæc verba

Venit Papiam s. Bernardus.

Procacitas demonis.

Attendant ista noui nostri Saducæi.

Eijcit nequissimum demonem.

Rursus in feminam demon reuertitur.

Iterum à s. patre expel.

litur, & vir-
tute char-
tula, nomē
Iesu conti-
nentis, am-
plius nō est
reuerfus.

continentem, præcepit: In nomine Domini nostri Iesu Christi præcipio tibi dæmon-
nē hanc amodō præsumas mulierem contingere. Quod mādaturum cum tanto timo-
re suscepit diabolus, vt mulieri regressæ ad propria, nunquā deinceps appropin-
quare præsumpserit.

Erat etiam in eadem ciuitate quidam dæmoniacus, cuius passio multos ad risum
commouebat, cum alij, qui seuerioris animi erant, clementissimo ei compaterentur
affectu. Hic itā latrabat, vt, si audires, nec personam videres, canem crederes. Hunc
ad se adductum, vir Dei cum latrātem audisset, ingemuit: qui eo modo latrabat, quo
solent percussi & obruti canes irasci & fremere in percussores: sed in præsentia viri
Dei anhelans & latrās, acrius solito turbabatur. Increpato itaque diabolo, & in virtu-
te Christi expulso, homini imperat vt loquatur. Purgatus homo intrat ecclesiam, in-
terest sacramentis, Crucis signo se munit, audit Euangelia, confitetur & orat, & cæte-
ra sanæ mentis officia Deo reddit, & consecrat.

Dæmoniacus
purgatur.

Cum secundo per Mediolanum eodem anno pater sanctus transiret, oblata est ei
dæmoniacæ mulier. Nam eo tempore aberat, quo primum vir Dei ciuitatem prædi-
ctam sua illustrauit præsentia. Hanc possidebat dæmonium, quod modò Italica, mo-
dò Ibera lingua loquebatur: nec satis certum erat, vt vnum vnus esset bilinguis, vtriusq;
fermonis idiomate vtens, an duo: sed tam propriè modò hæc, modò illa sonabat, vt
diceret: Hic qui loquitur, Ligur est, hic Hispanus. Hæc etiam genuum passione &
poplitis tremore turbabatur. Hæc cum ad virum Dei adducta fuisset, saltu concito
scammum, in quo sedebat, inopinata celeritate transiit. Reducta & interrogata, quid
sibi vellet saltus & fuga, & vnde ægrotanti & vetulæ tanta virtus & velocitas venisset,
respondit hanc sibi agilitatem ex præsentia inesse diaboli, vt currentes compræhen-
deret equos, & eorum dorfa sine adminiculo transiliret. Hæc sequenti die dum in ec-
clesia diuinis, quæ ille celebrabat, officijs interesset, crudelissimè & diutissimè coram
omnibus vexata est. Compassus Abbas mulieri, iam sæpè in talibus expertus Dei cle-
mentiam, imperat diabolo, vt recedat. Ille ad imperium serui Dei tremebundus, eu-
nuit: mulier verò non solum ex vexatione, sed etiam à neruorum contractione, in
momento conualuit.

Dæmoniacæ
anus sana-
tur.

Hæc & alia multa intrā Alpes cōstitutus, operatus est vir Dei, & diuersa loca perlu-
strans, benefaciebat his, qui infirmabantur, illuminando cæcos, erigendo debiles, cu-
rando febricitantes, maximè oppressos à diabolo diligentiori studio purgans: & quæ
malignus sædauerat spiritus pectora, templa Deo acceptabilia consecrabat. Multa in
hunc virum probabilia & laude digna cōcurrunt: & alij quidem doctrinam, alij mo-
res, & alij mirantur miracula. Ego quidem congruum his omnibus honorem defero,
sed præ omnibus, quantum in me est, hoc sublimius duco, hoc propensius prædico,
quod cum esset vas electionis, & nomen Christi coram gentibus & Regibus ferret
intrepidus, cum obedirent ei principes mundi, & ad nutum eius in omni natione sta-

In S. Bernar-
do quid
præcipuè
suspicien-
dum.

rent Episcopi, cum ipsa Romana Ecclesia singulari priuilegio veneraretur eius confi-
lia, & quasi legatione generali cōcessa, subiecisset ei gentes & regna, cum etiam, quod
gloriosius iudicatur, dicta eius & verba confirmarentur miraculis, nunquā excelsi-
sit, nunquā supra se in mirabilibus ambulauit: sed semper de se humiliter sentiens,
venerabilium operum non se authorem credidit, sed ministrum: & cum esset om-
nium iudicio summus, suo sibi iudicio constitit infimus. Soli Deo, quicquid fecit, as-
scripsit: immò nihil boni aut velle aut posse se, nisi in spirante Deo, & sensit, & dixit.
Sed aderat vis diuina in tempore accepto, & in die salutis, se segregans in Euangelium
suum seruum suum, cuius humilitatem respexit, cuius animam spiritus sanctus orna-
uerat: & quia synceritatem eius nulla maculabat duplicitas, nec interrompebat bo-
num eius quælibet conspersio falsitatis, in loco suo idem spiritus manebat immobi-

Viri sancti
perpetuè æ-
gritudines.
2. Cor. 12.

lis. Qui vt semper splendidior esset & purior, quotidie in fornace probabatur: & nē
labatur & arguebatur, non ad pœnam pro crimine, sed ad gloriam pro virtute. Nun-
quā ei defuit stimulus ægritudinis: & cum sciret virtutem in infirmitate perfici, suf-
ficientem sibi in hoc experiebatur gratiam, quod videret suos omnes, quantulumcun-
quæ extraordinarios, motus, lima illius quotidianæ afflictionis abradi. Erat quippè ca-
ro infirma, sed spiritus promptus: & quia in corpore delectari non poterat, totus de-
lectabatur in Domino: nec aliqua seculi huius ambitione pulsabatur, qui solis cæle-
stibus inhiabat. Quot ecclesiæ pastoribus destituta, sibi eum in Episcopum elegerunt?

Multæ ec-
clesiæ eum
eligunt sibi
episcopum,
sed renuit.

Elegit

Elegit cum domestica Lingonenſis eccleſia, elegit Catalaunenſis: intrà Italiam ciuitas Ianuenſis & Mediolanum, metropolis Ligurum, hunc optauerunt & pastorem & magistrum. Rhemis nobiliſſima ciuitas Franciæ, ſecundæ Belgicæ prouinciæ caput, eius dominationem ambiuit. Omnibus his uocationibus poſtpoſitis, non ſolicitauit animam eius honor oblatuſ, nec motuſ eſt pes eius, ut inclinaret ſe ad gloriam: nec magis eum delectabat tiara & annuluſ, quàm raſtrum & ſarculuſ. Perentibus ſe non aliquandò negabat, quod petebant, nec conceſſit: ſed dicebat eis, ſe non eſſe ſuum, & quod obedientia iuberet, facturum ut ſeruum. Aiebat autem ſe ueniſſe non miniſtrari, ſed miniſtrare, & à miniſterij ſeruitute, cui obligatuſ eſſet, niſi fratrum uoluntate, non poſſe abſolui. Quæ res cum referretur ad fratres, reſpõdebant: Nos omnibus, quæ poſſidebamus, uenditiſ, inuentam preciosam margaritam comparauimus. Ad patri-
monia diſtracta redire non poſſumus. Quòd ſi precium & appreciatum nobis perierit, & ſubſtantijs ac margarita priuati fuerimus, expectationi noſtræ malè prouiſum eſt: ſi oleo noſtro effuſo, clauſis ianuis, ſicut fatui, mendicemus. Prouiderat enim ſibi ex conſilio ſanctiſſimi fratres, & domini Papæ authoritate muniti erant, nè quis gaudium eorum tollere poſſet ab eis, & aliorum conſolatio, eis fieret tribulatio, & eorum inopia, aliorum plenitudinem cumlaret. His alijsque rationibus ſerui Dei expugnauerant petitores, & iam diuulgatum erat ubique, Abbatem ſic ſtatutum eſſe in Eccleſia à Deo, ſicut in Hebræorum populo Moyses fuit: qui, cum non eſſet pontifex, Aaron tamen vnxit & ſacravit pontificem, & diſpoſitionibus eius tota Leuitica ſucceſſio omni tempore paruit.

Amor fratrum Claraualenſis. er. ga S. Bernar. dum.

Matt. 25.

Leuit. 9.

CAP. V.

Am Alpes tranſcenderat, & deſcendebant in occurſum eius de ſummis rupibus paſtores & armentarij, & agreſte hominum genus, & conclamabant à longè, benedictionem petentes, & reptabant per fauces montium, regredientes ad cauſas ſuas, colloquentes ad inuicem & gaudentes. quòd ſanctum Dei uidiſſent, & manu ſua ſuper ſe extenſa, oprata benedictionis gratiam accepiſſent. Tandem Chryſopolim ueniens, uſq; Lingonas ſolenniter deducitur: circa quos fines fratres ei Claraualenſes occurrunt. Prouoluti pedibus, ſurgunt ad oſcula, & uiciſſim ei colloquentes, Clarauallem eum deducunt alacriter. Aſſunt fratres in vnum congregati, & mira deuotione dilectum patrem ſuſcipiunt: Agitur ſine tumultu cum omni grauitate lætitia: facies quidem purior, hilaritatem diſſimulare non poterat, ſed caſtigatus actionum & locutionum modus, metas proprias non tranſgrediebatur, & cohibebant ſe affectiones ipſæ, nè quid agerent, in quo diſſolutionis nota, religionis maturitatem offenderet. In tanta Abbatis mora, nihil in Claraualle potuit diabolus texere, nihil interim ruginis ſynceris affricuit mentibus, nec aliqua parte domus Dei ſupra petram fundata, mota eſt. Ità opus ſuum ſeruus Dei abſens corpore, præſens ſpiritu, orationum inſtantia munièrat & ſolidàrat, ut nec ruina aliqua in tantis conſtructionibus dehiſcere uideretur. Nullæ in aduentu eius lites ſeruatae ſunt, non odia nutrita, in præſentia iudicis eruperunt. Nihil iuniores aduerſus priores de aſteritate aut durtia: nihil priores aduerſus iuniores de diſſolutione aliqua vel remiſſione cauſati ſunt. Integer vniuerſorum ſtatus, conſors ſocietas, mira vnitas: omnes vnus moris in domo Dei, in pace & ſanctimonia inuenti ſunt, aſcendentes ſcalam Iacob, & feſtinantes ad intuitum Dei, cuius delectabilis adſpectus in ſuperioribus eminebat. Abbas autem uidentem ſatanam ſicut fulgur cadentem de cælo, eo humilior & ſubiectior Deo erat, quo intelligebat deſiderijs ſuis Deum ad eſſe propitium. Nec de hoc in ſe gloriabatur, quòd ſubiiciebantur ei dæmonia: quin potius in Deo gaudebat, quòd nomina fratrum ſuorum ſcripta uidebat in cælo, quorum vnanimitas immaculatam ſe cuſtodiret ab hoc ſeculo.

Chryſopolim. Fratres reuerentem amariſſimè excipiunt.

Gen. 28.

Luc. 10.

Aderant ei in conſilijs ſuis uenerabiles fratres ſui, aderat Godefridus Prior eiusdem loci, propinquus eius & carne & ſpiritu, uir ſapiens & conſtans, qui etiam religionis & prudentiæ merito, poſtea in eccleſia Lingonenſi factus Epiſcopus, & ſanctitatis formam retinens, & dignitatis, in qua eſt, honorem non minuens, uſque hodie egrediens & ingrediens, laudabiliter perſeuerat. Hi ergo atque alij plures uiri prouidi, & de communi uilitate ſoliciti, uirum Dei, cuius conuerſatio in cælis erat, aliquandò deſcendere compellebant, & indicabant ei, quæ domus neceſſitas exigebat. Inſinuant itaque ei locum anguſtum & incommodum, in quo conſederat, nec capaci-

Godefridus Prior Claraualenſis, poſtea Epiſcopus Lingonenſis.

cem tantæ multitudinis: & cum quotidie cateruatim aduentantium numerus augetur, non posse eos intra constructas recipi officinas, & vix oratorium solis sufficere monachis. Addunt etiam, se considerare inferius aptam planitiem, & opportunitatem fluminis, quod infra illabitur: ibique locum esse spatiosum ad omnia, quæ ad monasterij necessitates conueniunt, ad prata, ad colonias, ad virgulta, ad vineas: ceterum ex vna parte syluæ videatur deesse clausura, facile hoc parietibus lapideis, quorum ingens ibi est copia, posse suppleri. In primis vir Dei non acquieuit consilio: Videtis, inquit, quia multis expensis & sudoribus domus ista parata est, sublimis est ecclesia, domus lapideæ consummata sunt, aquæ ductus cum maximis sumptibus per singulas officinas traducti. Si hæc omnia confregerimus, poterunt homines sæculi de nobis malè sentire, quòd aut leues sumus & mutabiles, aut nimia, quas tamen non habemus, diuitiæ faciant nos insanire. Cumque certissimum vobis sit, penes nos non esse pecunias, verbo Euangelico vobis dico, quia ædificatio turrim, futuri operis necessè est supputare expensas. Alioquin cum coeperit & defecerit, dicitur ei: Hic homo fatuus cepit ædificare, & non potuit consummare. Ad hæc fratres respondent: Si consummatis his, quæ ad monasterium pertinent, habitatores cessare mittere Deus, stare posset sententia, & cessandum ab operibus rationabilis foret censura. Nunc vero cum quotidie gregem suum Deus multiplicet, aut repellendi sunt, quos mittit, aut prouidenda mansio, in qua suscipiantur. Nec dubium est, qui parauit manfores, quin præparet mansiones. Absit autem, vt pro diffidentia sumptuum, confusionis huius incurramus discrimina. Audiens hæc Abbas, fide & charitate eorum delectatus est, & aliquandò tandem consilij eorum acquieuit, plurimis tamen super hoc ad Deum precibus suis fuis, nonnullis quoque reuelationibus præostensis. Gausi sunt fratres, vbi verbum effusum est in publicum. Audiuit hoc sanctæ memoriæ nobilissimus princeps Theobaldus, & multa in sumptus dedit, & ampliora spondit subsidia. Audiunt Episcopi regionum, & viri inclyti, & negotiatores terræ, & hilari animo sine exactore, vltro ad opus Dei copiosa contulere suffragia. Abundantibus sumptibus, conductis festinanter operarijs, ipsi fratres per omnia incumbant operibus. Alij cedebant ligna, alij lapides conquadabant, alij muros struebant, alij fundabant Ecclesiam, alij diffusis limiribus partiebantur fluuium, & extollebant saltus aquarum ad molas. Fullones, & piscatores, & coriarij, & fabri, alijque artifices, congruas aptabant suis operibus machinas, vt scaturiret & prodiret, vbicunquè opus esset, in omni domo subterraneis canalibus deductus riuus vltro ebulliens, & demum congruis ministerijs per omnes officinas expletis, purgata domo, ad locum cardinale aluci reuertentur, qui diffusi fuerant, & fluuij propriam redderent quantitatem. Inopinata celeritate consummati sunt muri, totum monasterij ambitum spatiosissime amplectentes. Surrexit domus, & quasi animam viuentem atque motabilem haberet, nuper nata ecclesia, in breui profecit & creuit.

CAP. VI.

Laborabat ea tempestate sub schismaticorum oppressione, tota Burdegalensis ecclesia, & non erat in Aquitania, qui posset resistere principi, cuius animam induerant Deus: qui, annuente Gerardo Engolismensi Episcopo, & instillante in cor eius dissensionis semina, factus est schismatis defensor & auctor. Quicumque susceprioni Petri Leonis non subscribebant, persecutionibus expositi, alij damnis, alij proscriptionibus multabantur: alij à sedibus proprijs pulsati, exulare compellebantur. Similabat in auribus Comitis illius crebris persuasionibus, quasi serpens, antiquus venerator ille, qui diu in partibus illis Sedis Apostolicæ fuerat legatus, & nunc à magistratu tanto deiectus, non poterat se pati suæ solius ecclesiæ Episcopum, qui se videbat totius Aquitaniæ principem & magistrum. Erubescere enim ad primam domum redire, cuius potentatui & Turonica, & Burdegalensis, & Anxiensis prouinciæ subditæ fuerant, & quicquid à collibus Iberorum vsque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, paruèrat eius imperio. Consuetus igitur prædari prouincias, & sub titulo iustitiæ de causis emergentibus facere quæstum, infinitas aggregauit pecunias, quæ sibi erant in idolum, & in apostasiæ simulacrum. Videns igitur perisse sibi exactorium auctoritatem, & solâ domum, quæ nuper multis stipata clamoribus, iam carebat ætarijs, impatienter ferens, quòd manus eius non impleverentur muneribus, homo serpentinæ astutiæ festinatò ad Petrum Leonis misit, vt ei legationem concederet, & ipse

Luc. 14.

Ecce tibi vel
terè priorum
hominū cr-
ga monaste-
ria constru-
enda libera-
tatem.

Iste Guil-
helmus co-
mes, postea
sanctissime
vixit.

ipse ei fidelitate iurata obediret: insuper & principem terræ, & quoscunque posset, ad eius imperium inclinaret. Gauisus homo perditionis, quia locū, in quo dilataret militiam suam, se inuenisse putauit, citò annuit, & libenter ei in adstipulationem erroris Gilonem Tusculanum Cardinalem Episcopum, qui solus de Romanis cum Petro Portuensi Episcopo ei adhaferat, celeriter delegauit. Porro Gerardus, qui prius se mutilatum dolebat, resumpsit cornua, & deinceps cepit securior & audacior apparere. Nam & quod antè non fecerat, publicè procedebat mitratus, vt ipsa sacri officij insignia ampliore ei reuerentiam in populos vendicarent. Aggreditur ergò Comitē multis pecunijs, inuadit animam eius rationibus venenatis, & hominem promptum facile seducit & corrumpit. Inprimis ab vrbe Pictauiensi Vuilhelmus Episcopus, vir honestus, homo catholicus, in societate & defensione vniuersalis Ecclesiæ stabilis, violentè expellitur, & à Gerardo & Cardinale adiutore suo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares causæ, pro quibus ei à multo tempore Comes infensus, data occasione, libentissimè cum persequitur & abiurat. Visum est autem tam Gerardo, quàm Comiti, vt ad confirmationem partis suæ, sine mora Pictaui crearent Episcopum: & inuenerunt hominem ambitiosum, nobilem quidem genere, sed de genere fidei: quem, vt genus suum cum eo in causa ponerent, quibusdam ex clericis consentientibus elegerunt: & prophanas ei imponentes manus, execrabile caput eius non tam vnixerunt, quàm contaminauerunt. Simile huic monstrum in Lemouicensi ecclesia instruxerunt, Ramnolphum quendam Dorotensem Abbatem, quem non multò post vltio diuina secuta est: & cadens resupinus de equo in via plana, vno tantum lapide vltore, qui ad hoc ibi erat relictus, infixio capiti eius, quassato cerebro, expirauit.

Audiens hæc & huiusmodi vir venerabilis Gaufredus Carnotensis Episcopus, cui à Papa Innocentio Aquitania legatio fuit commendata, vehementer indoluit, & succurrendum periclitanti Ecclesiæ, postpositis alijs negocijs, sine dilatione vlla decreuit. Abbatem ergò Claraualensem petit & obsecrat, vt sibi ad tanta mala climinanda succurrat. Assensit vir Dei, & se in proximo congregationem monachorum in Britaniam, in locum, quem iuxta Nannetum Comitissa Ermengardis parauerat, ducturum intimat, & promittit, disposita illa domo secundum genus & species suas, secum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur simul, & ne multis ambagibus vtar, simul Nannetum venerunt. Erat autem in regione illa misera mulier, quæ à quodam petulante diabolo vexabatur. Apparuit autem ei lasciuus ille diabolus in specie militis, valde pulchri ad spectu, & in amorem suum intus suggestione latenti, extrà locutione blandienti, animum eius fallaciter inclinauit. Cum quæ assensum mulieris obtinuisset, expansis brachijs, pedes eius super vnam manuum suarum posuit, altera verò manu caput eius operuit, sibi quæ eam huius foederis signo dotauit. Illa quidem virum habebat strenuum militem, sed huius execrabilis commercij penitus ignarum.

Abutebatur ergò ea, etiam in eodem loco cubante marito, inuisibiliter impurissimus ille adulter, & incredibili vexabat libidine. Sex annis tantum latuit malum, nec detexit mulier perdita tanti criminis probrum. Septimo verò anno confusa est in se ipsa, & expauit, tum propter colluuiem tam continuæ turpitudinis, tum propter timorem Dei, cuius iudicio singulis momentis timebat intercipi & damnari. Confugit ad sacerdotes, & piaculum confitetur. Peragrat loca sancta, & sanctorum implorat suffragia: sed nulla ei confessio, nulla oratio, nulla cleemosynarum largitio suffragatur. Quotidiè, vt prius, & importunius, à damone infestatur. Denique in publicum tantum scelus effusum est. Quo audito & cognito, maritus eius contubernia execratur. Inreà ad locum prædictum vir Dei cum comitatu suo aduenerat: cuius vt audiuit aduentum infelix mulier, se ad pedes eius tremebunda proiecit. Aperit ei lachrymis perfusa passionem horribilem, & ludificationem inueteratam, & quòd ei nihil profecissent, quæcunque fecisset sibi à presbyteris imperata. Addit sibi ab opere suo aduentum eius prædictum, & minaciter ei interdicit, ne ante eius veniret præsentiam: quia nihil ei prodesset, & ipse, recedente Abbate, qui fuerat amator, crudelissimus ei fieret persecutor. Audiens hæc vir DEI, blandis verbis consolatur mulierem, & de cælo promittit auxilium: præcepit quæ, vt die altera (iam enim nox instabat) confidens in Domino reueratur. Reuersa manè, cum viro Dei blasphemias & minas, quas eadem nocte ab incubo suo audierat, retulisset: Ne cures, inquit vir Dei,

Gerardus Engolismensis Episcopus fouet partem Antipapæ admodum flagitose.

Legitimis exturbatis Episcopis, substituitur Pseudoepiscopi.

Vltio diuina.

Britania minor pars Franciæ nobilissima.

Diabolus mirè abutebatur vxore militis cuiusdam.

* forte interdictum.

Dei, minas eius: sed tolle baculum hunc nostrum, & pone in lecto tuo, & si quid poterit, agat. Egit mulier quod iustum fuerat, & recubans in lecto suo, signo Crucis munita, iuxta se baculum ponit. Adest ille continuo, sed nec ad consuetum opus, nec ad ipsum cubile presumpsit accedere: tamen minatur acerrime, quod discedente viro edictum Episcopi populum in ecclesiam accersiri. Cumque ipsa die maximus populus ad ecclesiam conuenisset, inter Missarum solentia, comitantibus Episcopis Gaufredo Carnotensi, & Bricio Nannetensi, ipse ad ambonem conscendit, & ut omnes, qui in ecclesia erant, accensas candelas in manibus teneant, locuturus edicit. Quod & ipse cum Episcopis & clericis faciens, inauditos diaboli ausus publice aperit, & fornicatorem spiritum, qui in tam horrenda inquinamenta etiam contra naturam suam exarserat, cum omnium fidelium, qui aderant, subscriptione anathematizat, & auctoritate Christi tam ad illam, quam ad omnes mulieres deinceps interdicat ac cefsum. Exinctis itaque sacramentalibus illis luminibus, extincta est deinceps tota virtus diaboli, & mulieri post confessionem communicanti, nunquam postea apparuit inimicus, sed irreversibiliter eliminatus aufugit.

Profligat
mirabiliter
impurissimu
demonem a
famina.

Mittitur cu
Episcopo
Suessionensi
ad componendam
pacem
Ecclesie.

Gerardus
Episcopus
schismaticus
Catholicos
persequitur

Terribilis
vindicta in
decanu, &
alios schi
smaticos.

Nam. 16.

His itaque patrat, simul Abbas & legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus assensu Comitis, Burdegalem Archiepiscopatum occupauerat, & simul Burdegalem & Engolismensem detinebat ecclesiam. Sed effluentibus pecunijs, quas in assentatorum manus iniecerat, magis ac magis cognita veritate: iam defuebant ab eo subsidia principum, & perfidia eius timebant existere defensores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus securiorem se putabat, nec iam facile se conuentibus presentabat. Ut enim prius gesta breuiter repetamus, ubi primum cepit audiri, quid aduersus Ecclesiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio Papa, adhuc in Gallijs demorante, missi sunt Abbas noster Claraualensis, & Iosephus venerabilis Episcopus Suessionensis, & Pictauum usque venerunt, ut tam ipsum quam praedictum principem conuenirent. At ille, iam eodem principe persuaso, impudenter in ecclesiam Catholicam, a qua se praecidebat, conuicia cepit iaculari, & pollicitam prius Innocentio obedientiam subtrahere, Anaclerum suum electum digniorem, & quicumque ei non obediret, erroneos & acephalos nominare. Unde factum est, ut animati & armati in infaniam Clerici, publice ex ea die persecutionem Catholicis intarent. Prius tamen, quam ab unitate se ipsos taliter praecidissent, obrulerat Abbas sanctus in eorum ecclesia sacrificium Deo. Post cuius discessum, Decanus eiusdem ecclesiae altare, in quo diuina mysteria celebrant, impiè quidem, sed non impune, confregit. Si quidem post breue tempus percussus a Deo, cum spiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam videbat demonibus, & se a demonio iugulari clamitans, cultellum a circumstantibus postulabat, quem immergeret gutturi suo, ut extracto demone viueret. Sed diabolus, cui datus erat, cum inter haec verba extinxit, & pestilentem animam in infernum demersit. Archipresbyter quoque, qui Petri inuasoris Pictauiensis ecclesiae synodum denunciabat, coram ipsis, quos ad conuentum perfidiae inuitabat, a diabolo correptus est. Sed & in alios multos, qui in schismate illo feruentiores extiterant, manus diuina manifestam exercuerat ultionem. Propter haec & alia huiusmodi, ante homines confundi coeperat Gerardus, & timens opponi sibi, quae negari non poterant, conuentus publicos euitabat.

Significatum est interim Comiti per viros illustres, qui ad eum securius audebant accedere, quod Abbas Claraualis & Episcopus Carnotensis, alijque Episcopi & religiosi viri, colloquium eius expeterent: quorum etiam studium esset, ut secum de pace Ecclesiae, & de malo remotendo tractarent: persuasumque est illi, ne tantorum virorum deuitare colloquium: quia poterat fieri, ut communicato cum eis consilio, & facile esset, quod modo videbatur difficile: & quod videbatur impossibile, repentino prouentu possibile redderetur. Itaque apud Pertinacum hinc inde conueniunt, & imprimis de diuisione Ecclesiae, & de scissura & obstinatione, quae infra Alpes in sola Aquitania quasi nebulae corruptela confederat, multis modis & rationibus a seruis DEI Comiti intimatum est, quod Ecclesia vna est, & quicquid extra eam est, quasi extra arcam, iudicio Dei necesse est interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos reatu schismatis terra viuos absorbit: nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuisse, monstratum est. His auditis, Comes ex parte sano usus est consilio, & respondit, in obedientiam Innocentij Papae posse dare consensum: sed

sed in restitutionem Episcoporum, quos de sedibus suis expulerat, nulla ratione induci: quoniam implacabiliter eum offenderant, & iurauerat, se nullo tempore eorum pacem aliquando suscepturum. Diu per internuncios protractus est sermo, & dum vicissim verbis se mutuò occupant, vir Dei efficaciora sibi arma arripens, ad altare sanctum oblaturus & supplicaturus accedit. Intrauerant ecclesiam, quibus licebat diuinis interesse mysterijs, Comes sustinebat pro foribus. Peractis itaque consecrationibus, & pace data ac diffusa per populū, vir Dei iam non se agens, vt hominem, corpus Domini super patenam ponens, ignea facie & flammeis oculis, non supplicans, sed minax, foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem: Rogauimus te, inquit, & spreuisti nos: Supplicauisti tibi in altero, quem iam tecum habuimus, conuentu seruorum Dei ante te adunata multitudo, & cōtempstisti. Ecce ad te processit filius Virginis, qui est Caput & Dominus Ecclesie, quam tu persequeris. Adest iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet. Nunquid & ipsum spernes? Nunquid & ipsum sicut seruos eius cōtempnes? Lamentabantur vniuersi, qui aderant, & orationibus intenti, præstolabantur exitum rei, & omnium suspensa expectatio nescio quid diuinum calidius fieri expectabat. Videns Comes Abbatem in spiritu vehemēti procedentem, & sacratissimum corpus Domini in manibus ferentem, expauit & dirigit, membrisque tremebundis metu, & dissolutis, quasi amens solo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rursum in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, saluis per barbam defluentibus, cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur. Tum vir Dei ad eum propius accessit, & pede pulsans accliuem, surgere iubet, & stare supra pedes, & DEI audire sententiam. Præfens est, inquit, Pictauiensis Episcopus, quem ab ecclesia sua expulisti. Vade, & reconciliare ei, & in osculo pacis iungito fœdera, & ipse ad Sedem suam eū reducito: & satisfaciens Deo, redde pro contumelia gloriam, & in vniuerso principatu tuo diuisos & discordes ad charitatis reuoca unitatem. Subdere Innocentio Papæ, & sicut ei omnis obedit Ecclesia, tu quoque electo à DEO, tanto pare Pontifici. Audiens hæc Comes, autoritate spiritus sancti, & sanctorum sacramentorum præsentia victus, nec audebat respondere, nec poterat: sed statim occurrit, & in pacis osculo recepit Episcopum, & eadem, qua cum abiurauerat, manu cum totius exultatione ciuitatis, ad propriam sedem eum reduxit. Sed deinceps Abbas cum Comite iam familiarius & suauius loquens, paternè eum monuit, nè ad impios & temerarios ausus vltra exurgeret, nè Dei patientiam in tantis irritaret flagitijs, nè pacem factam in aliquo violaret.

Pace itaque omni Aquitanicæ ecclesie reddita, solus Gerardus perseuerat in malis: sed non multo post adueniente die iræ, in domo sua miserabiliter extinctus est. Et cum dicat scriptura, Est peccatum ad mortem: pro eo non dico, vt roget quis: impoenitens & subito mortuus, sine confessione & viatico de corpore egredientem spiritum diabolo reddidit, cuius minister vsque in finem extiterat. Corpus eius à nepotibus suis, quos in ecclesia illa honoribus sublimauerat, inuentum in lecto suo exanime & enormiter tumidum, in basilica quadam humatum est. Sed postea à Gaufrido Carnotensi Episcopo, sedis Apostolicæ legato, inde extractum, aliasque proiectum est. Nepotes quoque eius ab eadem ecclesia postea eliminati sunt, & omnis progenies & plantatio à radice euulsa, per extera regna, tanti iudicij circumferens querimonias, exulauit. Tanto ergo malo obruto, & schismate Gerardi redacto in cineres, vir Dei cum magno gaudio Clarum allem reuertitur. Assunt fratres circumfusi pedibus eius: gratias agunt Deo, qui bonis inijt feliciores protuentus accumulatur, & vbi que Abbatis sui humilitatem glorificat & exultat. Nactus verò vir DEI aliquod quietis tempus, alijs se negocijs occupauit: & secedens in casulam, pisatij torquibus circumtextam, solus meditationibus diuinis vacare disponit: & repente occurrunt ei in diuersorio humili, quasi ad præsepe Domini consistenti, amatoria Cantica, & spiritualium fercula nuptiarum. Considerat & expauescit, quod sponsus speciosus forma, præ filijs hominum, in quem etiam Angeli desiderant prospicere, fuscam adamauerit sponfam, & decoloratam à sole, tanto extollat præconio, vt dicat eam totam formosam, nec vllam in ea maculam esse. Ipsam quoque sponfam dilectione languere miratur, & inquit diligenter, quæ sit illa charitas, cuius oscula dulciora sunt vino, ad quorum delibationem tanto affectu anima impatienter anhelat: cum que sponsus multis laudibus sponfam attollat, non tamen in omnibus plenam ei sui copiam præbeat, nec vsque ad plenitudinem satiata. tis se sponsæ desideranti concedat: quæ sit aliquando non inueniatur, & post longos

A a a a circuitus

Nota histo-
riæ memo-
rabilem, &
de corpore a-
li Christi in
Eucharistia
præsentia.

Recipit en-
mes P. A. uē
lis Episcopū
in osculo
pacis.

Huius Vuil-
helmi Co-
mitis mūtē
conuerti vi-
ta habetur
Tomo I. lo.
Februarij.

Nota schi-
smaticæ, &
time similē
vltionem.

Psal. 44.
Canti. i. &c.

Exponit Cā
tica Cant
corum

circuitus repertus, teneatur, ne fugiat. Multo tempore in harum meditatione rerum animam suam effudit, & multipliciter hæc exponens, quantum in se profecerit, qui quotidie in illis epulabatur delicijs: quantum in nobis, quibus illius benedictionis reliquias in scriptura seruauit, manifestum est legentibus eam.

CAP. VII.

Literis Pon
tificis euo
catur ad vr
bem, vt ad
sit laboran
ti Ecclesia.

Interea literæ Apostolicæ virtû Dei vocant, & vt assit laboranti Ecclesiæ, supplicant Cardinales. Intermittuntur studia, & quæ modò continua erant, interpolatis discursibus resumuntur. Nulla vacatio superest: seruus Dei aut orat, aut meditat, aut legit, aut concionatur. Videns ergò excusationes frustra expendi, & necesse esse obedi mandatis, cōuocatos à multis partibus fratres, diu profundeq; suspirans, affatur: Videtis fratres, in quantis tribulationibus laboret Ecclesia. Pars quidem Petri & in Italia & in Aquitania, authore Deo, elisa, iam non parturit, sed abortit. Euasati sunt in his regionibus schismatis defensores: Romæ magna pars nobiliû Innocentium sequitur, & fauent ei multi fidelium: qui tamen temerariæ multitudinis impetû formidantes, non audent publicè confiteri, quem Innocentio firmare, consensum. Coniuratos habet Petrus homines perditos, quos corrumpit pecunia: & munitionibus eorû occupatis, non Simonis Petri fidem, sed Simonis Magi representat præstigias. Contra vnam gentem, Occidente edomito, superest lucta. Orantibus vobis & iubilantibus, Iericho corruet: & cum extenderitis cum Moyse manus ad Dominum Amalech victus aufugiet. Iosue pugnat, & vt ad consummationem victoriæ dies sufficiat protelata, soli vt stet, non tam orat, quàm imperat: & meretur fides tam solis obedientiam, quàm de hoste prostrato victoriam. Nobis ergò pugnantibus, vos ferte præsidium, & auxilium de cælo supplicibus animis implorate. Agite, quæ agitis, & state in gradu, quo statis. Et licet vobis nihil conscij sitis, iudicio tamen vestro non æstimetis vos iustos: quia solus Deus quos iustificat, iudicat, & perfectissimus quisq; iudicij diuini strictum examen ignorat. Iudicari autem ab humano die non multum curetis, neq; vestra propria, neque aliena iudicia approbantes, sub timore Dei sic stare, vt nec vos quempiam iudicantes, ali quando extollamini: nec aliorum curantes iudicia, excidatis in nugas. Singula verò prosequentes, vos seruos inutiles reputetis. Eundem autem est nobis, quò nos obedientia vocat: & huius domus fraternitatem & vestri custodia, Deo, pro quo hunc assumimus laborem, confidentes de eius clementia, tradimus & commendamus.

Exod. 17.
Iosue 10.

Eccè quàm
sit restem
raria, aliq
iudicare.

Venit Ro
mam, Ponti
fice & Car
dinalib; gra
tulantibus.

Hæc dicens, & benedicens, flentibus vniuersis, discessit: & cum multa reuerentia ubiq; receptus, demum Romam peruénit. In cuius aduentu tam dominus Papa, quàm fratres latati sunt: & communicatis cum eo consilijs, secundum rerum pronè, & statum causarum, Abbas in opus egreditur: nec in curribus, nec in equis spem ponens, sed colloquia quorundam suscipiens, sciscitatur, quæ sit eorum facultas, qui fautorum animi: vtrum errore, an malitia seducti, tantum scelus protrahant & protelent. Intellexit ex secretis, Clerum, qui cum Petro erat, de statu suo solliciti, scire quidem peccatum, sed non audere reuerti, ne perpetua notatus infamia, vilis inter ceteros haberetur: & malle sub vmbra honestatis interim sic esse, quàm expelli à sedibus suis, & publicæ mendicanti exponi. Eorum, qui de Petri erant profapia, hæc erat responsio, quia iam credi eis à nemine posset, si dimembrarent genus suum, & cum relinquerent, qui cognitionis suæ caput esset & dominus. Cæteri iuramento fidelitatis excusabant perfidiam, nec aliquis ex sana conscientia parti illi conferebat suffragia. Denunciabat itaque Abbas eis, colligationes impietatis esse sacrilegas, & prophanas conspirationes, legibus & canonibus condemnatas, iuramentis nõ posse muniri: nec posse, nec debere veritatis sacramenta mendacio suffragari: insanire autem eos, qui rem illicitam sacramenti patrociniõ constare existimant, cum oporteat extraordinarias pactiones, quocunq; religionis obtentu sanctitas, reuocari in irritum, & auctoritate diuina dissolui: Auditis his & alijs viri Dei sermonibus, desuebãt à Petro, & quotidie partis illius dissociatis agminibus, vincula rumpebantur: ipsius quoque Petri anima tabescebat, quia se quotidie minui, Innocentium verò crescere minime dubitabat. Defecerant pecuniæ, contabuerat curiæ amplitudo, aruerant ministeria domus, rarus mensas eius frequentabat conuiuia, delicia in plebeia cibaria mutata, cultus obsequentium verustate obscurus, macri & acuti stipendiarij, ære alieno oppressi, & tota domus effigies pallida, dissolutionem proximam indicabat.

Attende fa
nam eius do
ctriam.

Interea Rex Sicilia Rogerus, qui solus iam ex principibus obedire Papæ Innocentio de.

rio detrectabat ad eum mittit epistolas, petens, vt Aimericum Cancellarium suum & Abbatem Claraualis ad se mitteret, nihilominus à Petro Leonis idem petens, vt Petrum sibi Pisanum à suo latere delegaret. Aiebat autem se diffensionis huius, quæ iam diu induruerat, velle scire originem, & cognita veritate, aut corrigere errorem, aut sancire sententiam. Mittebat autem in dolo: quia audierat Petrum Pisanum eloquentissimum esse, & in legum & in Canonum scientia nulli secundum: putabatque, si eloquentiæ eius in publico consistorio audientia præberetur, declamationibus rhetoricis simplicitatem Abbatis posse obrui, & silentium ei in verborum & rationum pondere imponi. Nè diu morer, venit pars vtraque; Salernum: sed militauerat vltio, & præuenerat tanti sceleris machinamentum. Parato namque ad bellum innumerabili exercitu aduersus Rannulphum Ducem, idem Rex in capum armatas produxerat acies, cum subito viso Duce audacter obuiam procedente, territus fugit, effusumque exercitum prædæ & cædibus exposuit, & innumeris militibus captis & interfectis, inuitus Ducem detrauit opibus, & gloria sublimauit. Quæ quidem ei omnia iuxta verbum viri DEI contigerunt. Cum enim primus eorum, qui vocati fuerant, Abbas sanctus adueniens, Regem in castris positum inuenisset, per multos dies vicinas acies, nè committerent, impediuit, denunciens Regi, quia si conflictum inièris, victus & confusus abibis. Nouissimè verò, cum eiusdem Regis plurimum creuisset exercitus, ignorans, quòd non in multitudine foret euentus belli, virum sanctum quærentem ea, quæ pacis erant, vterius audire contempsit. At ille ducem Rannulphum & catholicorum aciem verbis potentibus adhortans, sicut Regi fugam, sic illis victoriam pollicitus est & triumphantum. Cumque ad proximam villulam declinasset, & instaret orationi, repente fugientium & insequentium clamor auditur. Siquidem per eundem locum fugientem Regis exercitum Rannulphus persequebatur. Egressus itaque frater quidam ex his, qui cum Abbate erant, vni ex militibus occurrit, & quid accidisset interrogabat. At ille (siquidem literas nouerat) Vidi, inquit, impium superexaltatum & eleuatum, sicut cedros Libani: & transiui, & ecce non erat. Nec mora, Dux ipse secutus, mox vt monachum vidit, sicut erat armatus, equo desiliit, & eius pedibus aduolutus: Gratias ago, inquit, Deo & fidei seruo eius: quia nõ nostris viribus, sed fidei eius collata hæc victoria est. iterumque insiliens equo, hostes insequabatur.

Rogerus Siciliæ rex, fo
detrectat
obedire In-
nocentio
Papæ.

Magna eius
Regis calami-
tas.

Prenunciat
S. Bernardus
Regis rui-
nanam, & Du-
cis Rannul-
phi victoriã

Psalm. 36.

i. Cor. 4.

Iohann. 19.

Ephes. 6.

Gen. 6.

i. Pet. 3.

Obserua,
quinam pa-
reant Ro-
mano Pon-
tifici.

Nec tamen hac plaga sibi inflata cælitus, correctus est animus Regis, nec detumuit procella, quam conglomerauerat prauæ mentis elatio: sed post fugam reuersis, qui euaserant, simulans alacritatem, regio se ornatu attollens, stipata militibus curia, vtranque partem iubet accersiri: & prius instructo Petro, & multarum promissionum authoramentis accenso, de causæ suæ rationibus eloqui iubet. Prior Petrus electionem domini sui canonicam asserit, & verba sua multis canonum assertionibus muniat. At verò vir Dei non in sermone, sed in virtute regnum Dei esse intelligens: Scio, inquit, te Petre, virum sapientem & literatum esse, & vtinam sanior pars & honestiora te occupassent negocia. Vtinam te patronum causa iustior obtineret, & sine dubio rationalia eloquentem, nulla posset impedire facundia. Et nos quidem agrestes, sæpius lignonibus, quam pragmaticis aduocationibus assueti, si causâ fidei non esset, institutum silentium teneremus. Nunc autem cogit nos charitas eloqui, quia tunicam Domini, quam in tempore passionis nec ethnicus præsumpsit scindere, nec Iudæus, Petrus Leonis lacerat & dirumpit. Vna est fides, vnus Dominus, vnum baptisma: Nos neque duos dominos, neque geminam fidem, nec duo baptismata nouimus: vt ab antiquis ordiar, vna arca tempore diluuij fuit. In hac octo animarum, cæteris omnibus pereuntibus, euaserunt: & quotquot extra arcam inuenti sunt, perierunt. Arcam hanc typum tenere Ecclesiæ, nemo est qui ambigat. Arca alia nupèr fabricata est: & cum sint duæ, alteram necesse est esse adulteram, & in profundum demergi. Arca, quam regit Petrus, si ex Deo est, necesse est, vt arca quam regit Innocentius, obruatur. Peribit ergo Orientalis Ecclesia, peribit Occidens totus, peribit Francia, peribit Germania, Iberi & Angli, & Barbara regna in profundum pelagi demergentur. Religio * Camaldrensis, & Carthusiensis, & Cluniacensis, & Cisterciensis, & Præmonstratensis, aliaque innumerabilia seruorum Dei & ancillarum collegia, necesse est, vt sub vno turbine corruant in abyssum. Episcopus & Abbatibus, & reliquos Ecclesiæ principes, collo præcipiti mola asinaria alligata pelagus vorax excipiet. Solus ex principibus mundi arcam Petri intrauit iste Rogerus, & cæteris omnibus enecatis, ipse solus saluabitur: Absit, vt totius mundi religio pereat, & ambi-

tio Petri (cuius vita, palam est, qualis extiterit) regnum cælorum obtineat.

Rationalibus argumentis, Petrum Pisanum & ceteros oratores in suam partem trahit S. Bernardus. Ad hæc verba non ultra se poterant, qui præsentibus aderant, continere: sed abominati sunt & vitam Petri, & causam. Abbas autem tenens manum Petri, eleuauit eum, & simul ipse surrexit: Tutiores, inquit, si mihi credis, intrabimus arcam. Et sicut iam pridem mente conceperat, salutaribus illum aggrediens monitis, cooperante gratia Dei, protinus persuasit, ut ad urbem rediens, Innocentio Papæ reconciliaretur. Soluta concione, Rex necdum voluit obedire: quia sancti Petri patrimonium, quod in Cassinensi & Beneuentana prouincia amplissimum est, cupidus occupauerat: putabatque huiusmodi suspensionibus aliqua extorquere priuilegia, per quæ eius proprium deinceps sibi stabiliretur hæreditas. Sic Hærodes videns Saluatorem, contempsit: & quem desiderauit absentem, contempsit præsentem. Sed omnipotens Deus claritatem, quam accepit à patre, dedit hominibus: & contemnentibus se facit inglorios, & erigit in sublimem humiliatos. Igitur circa curationem cuiusdam viri nobilis, & in vrbe Salernitana notissimi, succumbentibus medicis, quorum præcipue ibi ars viget & studium, eidem vitam de medicorum auxilio desperanti, nocturnum quidam per somnium apparens, intimaui aduenisse Salernum virum sanctum, & in curationibus efficacem. Hunc inquirere iubet, & de lauacro manuum eius bibere. Quæsiuit, inuenit, aquam petiit, bibit, conualuit. Hoc verbum per totam urbem divulgatum, ad aures Regis & procerum eius peruenit. Cum omnium igitur populorum fauore, solo Rege in malitia permanente, Abbas Romam reuertitur: prædictum verò Petrum Pisanum & quosdam alios reconciliauit Ecclesiæ, & Innocentio Papæ confederat.

Luc. 23.

Iohan. 17.

Hominem à medicis desperatum sanauit aqua, qua abluit vir Dei manus suas.

Exod. 12.

Antipapa diuinitus percussus perit.

Viri Dei opera scilicet tolluntur.

Redit ad suum monasterium Clarauallense.

Aduenerat tempus, in quo completa Amorthæi malitia, Angelus percussit, gladium iam vibrabat, & pertransiens domos, quarum superliminaria agni sanguis imbuerat, ad domum Petri Leonis veniens, salutare in ea non reperit signum. Percussit ergo miserum: nec tamen illico defungitur, sed datur per triduum pœnitentiæ locus. Ille patientia Dei abutitur, & in peccato suo moritur desperatus. Miserabili pompa corpus eius effertur, cadaver eius in latebris sepelitur, & vsque hodiè fouea illa à Catholicis ignoratur. Attamen pars illius, Papam sibi pro illo alterum statuerit, non tam ex pertinacia schismatis, quam ut opportuniùs per aliquam tēporis moram Papæ Innocētio reconciliarentur. Quod sine mora per manus serui sui effecit Dominus. Nam & ipse ridiculus pontifex, Petri Leonis hæres, ad eundem virum Dei nocte se contulit, & ille cum nudatum quidem vsurpatis insignibus, ad Dominum Innocentij pedes adduxit. Quo factò, gratulabunda ciuitas lætatur, Innocentio Ecclesia rededitur, Romanus populus, ut pastorem & dominum, Innocentium veneratur, Abbas Clarauallis mira reuerentia habetur, ab omnibus author pacis & pater patriæ prædicatur. Procedentem viri nobiles prosequuntur, acclamat populus, matronæ sequuntur, & omnes ei prompto animo obsequuntur. Sed quandiu gloriam illam tolerauit? Quandiu pace fruitus est post tam diuturnum laborem? Nec diem pro anno recipere acquieuit. Sedatis omnibus & compositis, vix quinque dies teneri potuit, qui septem annis & ultra pro refarcienda eadem scissione sudauit. Exeunti autem vniuersus populus occurrit, lachrymantur post eum, & se ab eo postulant benedici, & orationibus eius cum omni deuotione se commendant.

Accepta igitur ab Innocentio licentia, confirmata pace, vir Dei egreditur, & maximum domi reportans gaudium, à fratribus cum gratiarum actione deuotè suscipitur. Interea Romæ Innocentius potestatiuè agenda disponit, vndique visitatores occurrunt: alij cum negocijs, alij gratia congaudendi adueniunt: processiones per Ecclesias celebrantur: depositis armis, ad audiendum verbum Domini plebes accurrunt, post multifarias egestates, ciuitas in breui opulenta refloret. Quæ discordia tempore distracta fuerant, pax solidata reducit & reuocat: arantur solitudines, pinguedine deferta. Requiescunt singuli sub vite & ficulnea sua, nocturna silent exubia, & apertis ianuis, omnis timor excluditur. Dato tempore, Innocentius Ecclesiæ ruinas restaurat, recolligit exules, ecclesijs antiqua seruitia, depopulatas colonias expulsi restituit, in super & dona congrua largitur per singulos. Monasterium etiam apud aquas Saluias, in S. martyris Anastasij honore constituit: quod quidem ibi fuerat prius, sed hoc tempore solus in ecclesia deerat habitator. Constructis itaque cœnobialibus mansionibus, & reformata Ecclesia, assignatis etiam ad alimonias donibus, agris & vineis, à Claraualle Abbatem & conuentum fratrum sibi mitti dominus Papa voluit.

luit & obtinuit. Mittitur ergo Bernardus, Pisanæ olim Ecclesiæ vicedominus, & religiosi cum eo fratres, qui secundum beati Benedicti Regulam, in eodem loco Domino deseruirent. Citò profecit illa plantatio, & associatis sibi viris indigenis, seruatorum Dei multiplicatus est numerus, & pinguibus ac congruis nutrimentis incolume & multiplex in breui produxere peculium.

Mittitur è Claraualle monachi, qui Romæ degant in monasterio S. Anastasij.

CAP. VIII.

Abbas sanctus ad studia sua reuersus, dilectum amplectitur epithalamiū. E diuersis etiam regionibus, odore religionis illius ubiq; diffuso, fratres ad fundanda monasteria inuitantur: Fundata quoque & statuta, se ditioni eius subijciunt, & arctioris incurrunt regulas disciplinæ. Sed & diuersarum regionum ciuitates ex hoc collegio meruere Episcopos. Imprimis Roma summo ornatur Pontifice: Præneste Stephanū habuit totius modestiæ virum: Ostia virum magnum Hugonem. In ipsa quoque Romana curia Henricus & Bernardus, alter presbyter, alter diaconus ordinati sunt Cardinales. Prope urbem Romam Nepa quoque, sub Huberto re floruit. In Tuscia Pisis, natalis solis gloria, & magnum Ecclesiæ lumē, Balduinus effulsit. Citra Alpes Lausannæ datus est Amedeus, Seduno Garinus, Lingonis Godefridus, Antisiodoro Alanus, Nannetis Bernardus, Beluaco Henricus, Tornaco Giralduus, Eboraco Henricus. In Hybernia duo Episcopi, re & nomine Christiani. In Alemania ciuitate Curia Algorus, sapientia, ætate & gratia reuerendus. Hæc luminaria, de Claraualle assumpta, fulgore puro prædictas vrbes sua illustrare præsentia, & pastoralis officij elucidantes gloriam, exemplum cæteris Episcopis facti sunt doctrinæ & vitæ, & in altitudine sua semper humiles constiterunt.

Episcopi complures è Claraualle creati.

Defuncto siquidem Innocentio Papa, & successoribus eius Cælestino & Lucio quæ uelociter consummatis, Bernardus, quem prius apud S. Anastasium Abbatem diximus ordinatum, Papa urbis efficitur, & Eugenius tertius appellatur. Hic seditione orta in populo, puluerem pedum in litigantes excussit, & relictis eis, in Fraciam venit. Cumque Romæ se comederent ac morderent, & se inuicem consumerent, expectauit in pace, donec fatigati conflictibus, & damnis afflicti, eius præsentiam cuperent & optarent. Qui interim celebrato Rhemis Concilio, Clarauallem humiliter uisitat, & gloriæ pontificatus Romani pauperum representat ad spectibus. Mirantur in tanta altitudine humilitatem immobilem, & in tam excellenti culmine, propositi sancti permancere uirtutem: ut altitudini sociata humilitas, pro officio exterius fulgeat, & pro uirtute nequaquam interius inanescat. Ad hærebat carni eius lanæ tunica, & diebus ac noctibus cuculla uestitus, sicibat, sic cubabat. Intus monachi habitum retinens, extrâ se Pontificem & moribus & uerbis exhibebat: rem difficilem agens, diuersarum in uo homine proprietatem exhibens personarum. Segmentata ei circumferebantur puluina: lectus eius pallijs opertus, cortina ambiebatur purpurea: sed si reuolueres operimenta, inuenires superiectis lancis complosa stramina & paleas cõglobatas. Homo in facie, Deus uidet in corde: ipse uero bonâ coram hominibus prouidebat. Alloquitur fratres non sine lachrymis, miscens sermonibus auulsa à corde suspiria, hortatur & consolatur, & se inter eos fratrem & socium, non dominum, exhibet, uel magistrum. Cumque cum ibi morari diutius non pateretur magna cum prosequens comitantium multitudo, salutatis fratribus, iter in Italiam dirigens, abscellit, & ad urbem peruenit. Scripsit ad eundem Papam uir sancti multæ subtilitatis librum, in quo acutissima indagatio tam ea, quæ circa eum, quàm infra sunt, prosequens, etiam ad ea, quæ supra ipsum sunt, ascendens, tanta de natura diuinâ differuit, ut uideatur in tertio celo assumptus, audisse quædam uerba, quæ non licet homini loqui, & Regem in decore suo uidisse. In his, quæ infra, & quæ circa ipsum sunt, morum societas, nature æqualitas, officiorum distantia, consideratio meritorum, dijudicatio prouectuum subtilissimè distinguuntur, & singulis in suo genere sui cognitio intimatur. In his quæ supra hominem sunt, speculatur cælestia, non eo modo, quo Angeli, qui semper adherent Deo, considerant: sed eo modo, quo potest homo puri animi & mentis sinceræ diuina contingere, & conformari Hierarchiæ cælesti sacerdotium temporale. Cum enim in cælesti militia constet alios alijs principari, & ministeriales spiritus ad nutum superiorum potestatum ad diuersa officia delegari: quidam uicinijs assistentes, ab ipso accipiunt, quæ alijs uel agenda uel intelligenda insinuent. Cumque exigat homo præposituræ suæ reuerentiam exhiberi, ad honorem summæ potestatis cuncta referri necesse est:

Eugenius 3. sic Romæ Pontifex.

Concilium Rhemis, præsentia Eugenio.

Nota in Pontifice stratum duritiam.

1. Reg. 16.

Libri sancti Bernardi de consideratione.

In cælesti spiritu ordinibus alijs principantur.

Omnes mul-
to magis de-
bemus sub-
ijci Deo.

quia cum sit subditus homini homo, vel spiritui spiritus, subdi maxime oportet Deo, de cuius munere datur ista praelatio, & quo docente fit, ut pateat homini tam cog-
tio sui, quam per fidem & spem ad diuinam contemplationem pro modo data & in-
dulta accessio. Distabat vir Dei & nonnunquam scribebat in tabulis cereis, non patie-
batur perire inspirata sibi diuinitus: sed abas lites Ecclesiarum, & appellationes impor-
tunas, quas inter se clerici discordes concitabant, blando spiramine componebat.
Interdum etiam durius increpante eo, redibat tranquillitas, & detumescuntibus pro-
cellis, qui seditiosi ante eum venerant, & bile diffusa scaturientes declamationibus,
pacifici reuertebantur.

Comitis
Theobaldi
erga virum
Dei summi
studium &
in signi li-
beralitas.

Adhaesit ei prae omnibus Comes Theobaldus, & dilectionem beneficijs profecutus,
& se & sua in subsidia Claræuallis exposuit, & in manibus Abbatis posuit animam suam,
deposita altitudine principali, se inter seruos Dei conseruare exhibens, non dominum,
ita ut obediret ad omnia, quaecumque domus illius infirmi imperassent. Emebat ergo fun-
dos, construebat domos, Abbatibus nouis praebebat impensas, & ubicumque serui Dei ex-
tendissent propagines, delegabat pecunias: non unam domum, sicut Salomon Hiero-
solymsi statuens: sed ubicumque huius schematis confederissent personae, sagagebat eis mi-
nistrare necessaria, quasi Christo in terris praesenti propriam faceret mansionem. Sed
& hoc in arbitrio viri Dei posuit, ut quibuscumque egentibus, eo mandante, ad opus Dei
sumptus praeberet. Videns ergo Abbas promptum principis animum, pietatem pie-
tate accendit, & maxime quidem domesticis fidei voluit esse eum obnoxium, & im-
mortalia templa fundare consuluit, & eleemosynas ea sagacitate disponere, ut semper
fructificantes, rediuisis & renascentibus accessionibus nouas semper eleemosynas par-
turirent. Deinde egenis, quos haec atque illac, quasi vesperae uouentes, stimuli paupertatis
exagitant, omnimodis docuit misereri: alijs indumenta, alijs alimenta largiri mo-
nuit: & suggessit, ut per seipsum Xenodochia uisitaret, nec horreret ad specus languen-
tium: quia in hoc duplicaretur clementiae bonum, si uideret & foueret, si consolaretur
& reficeret. Humiliare pauperum oppressores, defendere pupillum & uiduam, mi-
sereri & commodare, sermones suos in iudicio disponere, prouidere quieti Ecclesiae,
rationem gladij intelligere, quasi elementarium instruxit, summam principalis offi-
cij ei intimans, & hoc exquiri a principe ex debito, ut laudi bonorum & uindictae malo-
rum intendat. Haec & alia huiusmodi salubria monita homo rationabilis reuerenter
accipiens, luxum curiae & fastum altitudinis in humilitatem & honestatem conuer-
tit: nec erat, qui in praesentia eius auderet aliquid indecens uel agere, uel loqui: sed in
hoc etiam ei placere studentes, siue fidei, siue puro animo, ea in quibus dominum suum
delectari uidebant, ipsi quoque sapientius factitabant. Introducebant igitur ad eum, qui
familiaribus ei assistebant, pauperes patientes calumniam: nunciabant, languentes in
plateis iacentes, & quosque in amaritudine & miseria constitutos: & ipse oblata sibi
occasione clementiae latrabatur, & altiori gratia amplectebatur, quos de huiusmodi
rebus uidebat esse sollicitos. Denique duos religiosos viros, de Praemonstratensi Ordine
euocatos, eleemosynae suae praeposuit, ad quorum curam spectaret circumire castella
& vicos, in quibus ipse maneret, & de propria mensa languentes & leprosos omnes, qui
ibi manebant, quando in illis locis esset, abundanter refici iussit: sed & alijs pauperi-
bus largas & congruas eleemosynas siue in cibis, siue in uestibus, eorum ministerio do-
nari instituit. Et illis quidem tantum in domo sua uoluit esse dominium, ut potestati-
ue pincernis & pistoribus & cocis, & reliquis ministerialibus, quae uellent, iuberentque
placere, tollerent: nec esset, qui aliquid prohibere auderet uel referre ad Comitem,
si in aliquo prodigi uiderentur. Hi duo, quos praedixi, timentes Deum, & Comiti pla-
cere uolentes & Deo, nec magnificentiam principis minuebant, qui charitatis pleni-
tudinem de suis impleri preceperat: nec Deo ingrati esse uolebant, si inuenirentur de-
sides & auari, quos promptos & expeditos dispensatores esse tam uoluntas Dei, quam
principis sufficiens bonitas iniunxisset. Erat praeterea horum officio deputatum, ut
monachis & religiosis uiris, quos ad curiam diuersa mittebant negotia, hospitia pro-
uiderent, & de penu & horreo Comitis necessaria ministrarent. Circumferebant etiam
rigente bruma, apratis sarcinis, pauperum indumenta & pelles, & birros, & calceame-
ta, in quibus nec axungia deerat, quae per vicos indigis erogabant. Nullum in Comi-
tatu illo clementiae opus deerat: ad portum illum naufragi omnes tutum habebant
refugium. Temporibus famis non sicut Pharaon frumenta uenundedit populo, nec in-
seruitutem sibi erogatis annonis subiecit Aegyptum: sed Abbate sancto, quasi altero
Ioseph,

Officium
Principis.
Ezech. i.
Theobaldus
Comes, ex-
emplum o-
ptimi prin-
cipis.

Duos Mo-
nachos ele-
mosynae suae
praeposuit.
idem Co-
mes.

Genes. 47.

Ioseph, diuiniore vsus consiliario, gratis egenis aperuit horrea, nec exhaustit populū pecunia, nec astu circunuenit afflictos, nec re publica ad se translata, priuatos in terra cumulauit thesauros: sed in cælo potiùs thesaurizans infatigabilis distributor, cum magna alacritate & pecunias distribuit, & annonas.

Nec defuit viro inhianti cælestibus, magni ponderis & horrenda tentatio: sed aggressus est eum tam Rex, quàm principes, & commota est & cõtremit terra, & quasi iratus esset ei Deus, rapinis & incendijs ferè omnia ad eum pertinentia depopulatoribus exposita erant, & operuit faciem terræ Regis exercitus, & passim omnia vastabāt. Nec erat ei tutum resistere vel obuiare persecutoribus: quia & sui deseruerunt eum, manifestè infestantes: & qui remanserant, in insidijs, non ad subsidia, erant, & erāt vndiq; angustia graues: quia nec domi sibi cauere, nec extrà poterat congrua prouidere, qui omninò, qui sui essent, nesciret: & tam de perfidia refugarū, quàm de duplicitate suorum, prorsus diffideret. Inter has angustias conuersus ad Dominum, de cælo quesitum auxilium: & accito viro Dei, cuius consilio maximè utebatur, non desperans de misericordia Dei, hoc ex eius respõso accepit, vt intelligeret, quia flagellat Deo omnē filium, quem recipit, & huiusmodi correptiones vel purgant, vel probant animam: & gloriosorem fuisse Iob, cum sederet in sterquilinio, quā fuisset, cum circumstante exercitu, sedisset illæsus in solio. Ostendit ei vir sanctus Salomonem peccasse in ocio, & abusum bono pacis, defluxisse in vitia: cum Dauid Pater ei, Absolon filio psequente & vniuerso Israël, permanisset in gratia. Intimauit etiam, quomodo ipsum satanas colaphizauit Apostolum: in qua tribulatione immobiliter perseuerans, illud meruit audire: Quia virtus in infirmitate perficitur: & quia in præsentī seigniores nos faciunt prospera, & circumspectiores aduersa. Hęc audiens venerabilis Comes, magnificè animatus, duo immensi ponderis & miri operis vasa aurea, in quibus preciosissimæ gemmæ habebantur inclusa, quæ in solennitate coronæ suæ Rex Anglorū Henricus auunculus eius, ad ostentationem diuitiarum suarum & gloriæ suæ, in mensa coram se habere consueuerat, sub omni celeritate proferri iussit in medium: & à corde suo delectationem huiusmodi auellens, gemmas à retinaculis suis abstrahi iussit, & aurum cõfringi præcepit, vt venundaretur, & de precio eorum dilecta Domino super aurum & topazion tabernacula fundaretur. Nec desistebat Amalech ab infestatione Israël, sed Moyses eleuatis in cælum manibus, potius est victoria: & retrahentibus se hostibus, Abbas sanctus sequester sollicitus, clamantibus ad Dominum, & domi plorantibus fratribus, irrupit in acies, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio: & allegationibus diuinis intercurrentibus, detumescere procellæ, & reuersa est inter regem & principem tranquillitas, & pacis desiderata serenitas.

En princeps
longè opti-
mus in quā
horrendam
incidit ten-
tationem.

Prou. 3.

Iob 2.

2. Reg. 15.
& c.

2. Cor. 12.

S. Bernardus
author pa-
cis inter dif-
cordes prin-
cipes.

*Prologus domini Ganfridi monachi Claraualensis, & quondam
beati Bernardi notarij, in tres vltimos libros de
vita eiusdem.*

* Gofridi

Larissimi patris nostri Bernardi Claraualensis Abbatis memoriam, vni in insignes ad laudem Christi & multorum ædificationem lsteris commendarunt. Inuenta sanè materia vberi, prout cuiq; licuit, & certior ei gestorum innouit veritas, non eam totam, sed partes aliquas digessere. Videtur autem nonnullis, quòd multò minùs eum silere debeat puer sanctitatis ipsius, dignationis filij, benignitatis alumnus: què ab eius vberibus post annos circiter tredecim, quod sine singultu nec meminisse debeo, nec proferre queo, sola tandem, quæ sola potuit, mors auulsit. In quo tibi vtinam sic complacere etiam nunc, pater sancte, sicut aliquando videbatur, & aliquandiu cõplacere. Et quis alter tibi tam debitor, quis tam obnoxius, quis tam tuus? Memordit, fateor, memordit mors improba, sed non totum pariter deglutiuit. Amputauit, non extirpauit: sine misericordia portionè, quæ se cõtingebat, accepit. Tulit ad spectum, tulit eloquiū, corporale etiā tulit obsequiū: sed non rapuit fidem p̄sentis etiā nunc opitulationis, non abfuit spem future aliquando visionis, non deniq; filialis absumpsit deuotionis affectū. Caterum mihi quidè, vt optimè noui, præsertim tanto idonea operi, nec scientia, nec eloquentia supererit. Sed tua sanè magnalia & tuas dignè eloqui laudes, non Origenis ingeniū, non Ciceronis lingua sufficeret. Nec desperandum tamen, q̄ tuorum magis operum fructus carpere prudens lector, q̄ verborum nostrorū folia indigna, debet: vt illorum magis suauitate gustata, quàm illorum ariditate culpata, nō tam nequiter

ista mordeat, quàm illos delectabiliter edat. Nam & securius & syncerius visa solent, quàm audita, narrari: & in tertium vas transfusa, facilius coalescunt. Sed & dulcius ea bibitur aqua, quæ exiguò licet alveo fontis hauritur, quem confestim repleverit vena scaturiens, quàm quæ ex riuo tollitur, longius iam progressò, vel ex flumine iam copioso. Inde est, quòd intactis eorum libris, qui de eiusdem beatissimi patris nostri initijs seu etiam medijs conscripserunt, nè tanquàm super alienum ædificasse videar fundamētum: circa ea potissimum noster sermo versatur, quibus penè omnibus præfens adfui: interdum etiam, licet pauca interferens, quæ fidelissima fratrum, qui aderant, relatione cognoui. Veruntamen opus istud libellis tribus, partitum lector inueniet: quorum quidem primus ea maximè, quæ ad habitum, mores atque doctrinam huius beati patris visa sunt pertinere: secundus autem virtutes multas, per eum factas, eloquitur: tertius in eiusdem beato sine completur. Illud etiam admonendum, in rerum narratione gestarum, coherentiã similitudinis magis, quàm temporis obseruari. Siquidem nec signa ipsa, nec opera quædam eo ordine scripta, quo facta sunt: sed interdum aliqua, prout occurrere locis opportunioribus videbantur, inserta. Firmior enim videri, & haberi acceptior solet oratio, quæ suis innitur & illustratur exemplis, velut fabrica quædam, idoneis fulta columnis. Nonnulla quoquè transportata sunt, vt similibus alijs iungerentur, & quæ erant eiusdem generis, sibi aptius cohererēt. Verum hæc in duobus quidem libellis prioribus, nam in tertio, penè per omnia ordinis ipsi ipsius temporis, series narrationis obsequitur.

LIBER TERTIVS.

CAP. I.

Catalogus
virtutum
beatissimi
Bernardi.



Dotes cor-
poris eius,
& formæ
habitus.

Multuarijs
moribus la-
borat.

L Numeris quidem signis atque miraculis, vt orbis comperit vniuersus, fidelem famulum suum Bernardum Claraualensem Deum glorificauit Abbatem, sicut gloriosus semper in sanctis suis, & in sua mirabilis est maiestate. Cæterum, sicut Malachiam sanctum idem ipse commendat, primum maximumque miraculum, quod exhibuit, ipse fuit: serenus vultu, modestus habitu, circumspectus in verbis, in opere timoratus, in sacra meditatione assiduus, in oratione deuotus: & sicut alios ipse monebat, crebra siquidem experientia persuasus, de omni re magis fidens orationi, quàm industriae propriae vel labori. Magnanimus in fide, longanimus in spe, perfectus in charitate, summus in humilitate, præcipuus in pietate. In consilijs prouidus, in negocijs efficax, nullam quàm tamen minus, quàm in ocio ociosus. Lucundus inter opprobria, inter obsecra, quia verecundus, suavis moribus, meritis sanctus, miraculis gloriosus, plenus denique virtute & sapientia & gratia apud Deum & homines. Cuius sanctæ animæ adiutorium simile sibi fecerat Deus, & speciali præuentum benedictione corpus aptauerat. Apparebat in carne eius gratia quædam specialis, spiritualis tamen potius, quàm carnalis: in vultu claritas præfulgebat, non terrena utique, sed cælestis: in oculis Angelica quædam puritas, & columbina quædam simplicitas radiabat. Tanta erat interioris eius hominis pulchritudo, vt euentibus quibusdam indicijs foras erumperet, & de cumulo internæ puritatis & gratiæ, copiosè perfusus homo quoque exterior videretur. Corpus omne tenuissimum & sine carnibus erat: ipsa quoque subtilissima cutis in genis modicè rubens. Illò nimirum, quicquid caloris inerat naturalis, assidua meditatio & studium compunctionis attraxerat. Cæsaries ex flauo colorabatur & candido: barba subrufa, circa finem vitæ eius resperfa canis. Statura medicoratis honesta, longitudini tamen vicinior apparebat. Aliàs autem thesaurus iste in vase fictili erat, contrito penitus & conuasato. Laborabat siquidem caro eius multiplicibus infirmitatum incommodis, vt in eis virtus animi perficeretur. Quarum periculosior quidem in meatu arctissimi gutturis, nil penitus sicum, vix solidum aliquid admittentis: molestior erat stomachi defectus, viscerum corruptio. Hæc continuè illi, præter alias sæpius incidentes. Summum eius studium, fugere admirationem, & tanquàm vnus sese agere cæterorum. At persequeretur gloria fugientem, sicut eregionem captantes sese alios fugere consuevit. Prouerbum illud in ore ei frequenter, semper in corde: Qui hoc facit quod nemo, mirantur omnes. Quò nimirum intuitu vitam regulamque commu-

communē ampliū amulabatur, nil in suis actibus preferens obseruantia singularis. Ob hoc deniquē & cilicium, quod pluribus annis occultē gestauerat, deponere maluit, quā ut ferre sciretur: minimē illum latere velle contestans, qui cum ceteris eiusdem professionis sibi communia non sectatur. In ipsis tamen communibus erat illi singularis puritas, & deuotio non communis. Nihil negligens & minima quæque cum studio & intentione tractabat, ex propria siquidem experientia diffinire solitus sapientem, cui quæque res sapiunt prout sunt.

A primis ferē annis sic euasit illecebras gula, ut ipsam quoque saporum discretionem ex magna parte perdidit. Quoties pia sibi ministrantium fraude deceptus, liquores alios pro alijs sumpsit? Nam & oleum sibi per errorem aliquandō propinatum bibit, & penitus ignorauit: nec prius id cognitum, quā superueniens quidam labia eius miraretur inuncta. Cibus eius buccella panis, in aqua calida penitus emolli, exigua forbitiuncula erat. Modicus ille quidem, sed non modicam partem eius crudam reijcere stomachus solebat, nē qua illi foret in cibo voluptas: quem sumere, periculum sumptum tenere, dolor: reijcere, miseria. Sic nimirum fideli seruo iuxta desiderium cordis sui dispensatio diuina prouiderat, ut nec fructus ei deesset abstinentia singularis, & odiosam admirationem declinaret sub umbra necessitatis. De viuo quidem aliquando ipse nobis dicebat, decere monachum, quandō sumere oportet, sic gustare illud, nē exinanisse calicem notaretur. Quod sic ipse seruabat, quoties sibi vinum patiebatur apponi, ut non modō post vnum potum, sed post quaecumque prandium, suum vasculum, in quo ei propinabatur, vix aliquandō videretur minus plenum a mensula reportari. Minus quidē stare poterat, sed erat sedens penē iugiter, & rarissimē mouebatur. Quoties subtrahere se poterat negocijs, aut orans, aut legēs, aut scribēs, aut insistentis doctrine erat & fratrum edificationi, aut in sacra meditatione persistens. In quo nimirum studio spirituali obtinuerat gratiā singularem, ut non tādum in illo difficultatem aliquandō sustineret, liberē secum habitans, & deambulās in latitudine cordis sui, & ibi exhibēs Christo, ut monere alios ipse solebat, cœna culi grāde stratū. Omnis ei ad meditandū hora breuis, locus omnis congruus erat: frequenter tamē, licet sic affectus, diuino urgente metu, immō regente spiritu, studiū hoc lucris vberioribus postponebat, doctus quærere non quod sibi erat vtile, sed quod multis. Alioquin in quolibet cœtu hominū vel tumultu, nisi eius intentionē causa deposceret, tota facilitate animum colligens, interiori quadam, quam ubiq; ipse sibi circumferebat, solitudine fruebatur, nil prorsus attendens, quod sonaret vel appareret exterius.

Cum iam Dei famulus annos aliquot in Claraualle peregrisset, subiit animum eius, ut sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum & Carthusiensēs fratres deuotionis gratia visitaret. Quem prædictus Episcopus tam grater & tam reuerenter suscepit, diuinam intelligēs in eiusdem hospitis visitatione præsentiam, ut prostratus solentius adoret. Videns autem seruus Christi Episcopum ætate grandævum, celebrem opinione, sanctitate conspicuum, coram se procidentem, vehementer exauit: & ipse quoque corruens ante eum, ita demum susceptus in osculo pacis, humilitatem suam tanti viri veneratione confusam, non sine graui gemitu causabatur. In cuius pectore singularem obtinuit ex eo tempore locum, ut fierent deinceps duo illi filij splendoris, cor vnum & anima vna, & se inuicem fruerentur in Christo. Sicut enim regina Saba de Salomone testatur, vterque in altero longē ampliū, quā fama vulgasset, inuenisse gratulabatur. Carthusiæ quoque à viro reuerētissimo Guigone Priore, & à ceteris fratribus eodem affectu & eadē veneratione susceptus est seruus Christi, exultantibus illis in gaudio, quia qualem eum per epistolā prius nouerant, talem inuenerunt & præsentem, Ceterum cum in reliquis omnibus edificarentur, vnum fuit, quod prædictum Priore Carthusiensem aliquatenus mouit, stratura videlicet animas, cui idem vir venerabilis infidebat, minus neglecta, minus preferens paupertatem. Nec silentio pressit æmulator virtutis, quod mente conceperat: sed locutus vni è fratribus, aliquatenus moueri sese confessus est & mirari. Cumque ille ad patrem sanctum, quod audierat, retulisset, nō minus ipse miratus, qualis illa esset stratura, quærebat: quod ita scilicet à Claraualle Carthusiam vsque venisset, ut nunquam eam vidisset, nunquam considerasset, & vsque in horam illam, qualis esset, omnino nesciret. Neque enim suum erat animal illud, sed à quodam monacho Cluniacensi, auunculo suo, & in sua vicinia demoranti, fuerat commodatum: & erat, sicut sibi sternere ille solebat. Quod verbum sæpe dictus Prior audiens, in eo potissimum mirabatur, quod

Fugiendā
monachō
singulari.
tas.

Sapientis
definitio.

Cibus eius.

Vinum ita
bibit, ut vix
bibisse videatur.

Exercitia
eius.

Nō quod sibi
erat vtile,
sed quod
multis quærebat.

Inuistit sanctum Hugonem Gratianopolitanum Episcopum.

3. Reg. 10.

Item fratres Carthusianos.

Vide rem admiratiōe dignam.

sic

sic ille Dei famulus foris oculos circuncidisset, intus animum occupasset, ut quod ipsum primo offenderat visu, hoc ille tanti itineris spatio non vidisset, non considerasset omnino. Iuxta lacum etiam Lausanum totius diei itinere pergens, penitus eum non vidit, aut se videre non vidit. Cum enim vespere facto de eodem lacu focij loquerentur, interrogabat eos, ubi ille lacus esset: & mirati sunt vniversi.

CAP. II.

Desiderauerat tamen ab initio omnimodis subtrahere se negocijs, & nusquam egressi, sed in monasterio residere. Quod & postmodum ex defectu corporis occasionem inuenisse se reputans opportunam, aliquando statuit, & aliquandiu tenuit, donec illum exire coegit necessitas Ecclesiae Dei, & summi Pontificis atque omnium Abbatum sui Ordinis iussio: quibus per omnia tanquam patribus defererebat, ipse omnium Pater. Ex quorum etiam mandato, praeter tunicam & cucullam, lanceo panino in modum chlamydis decurtata, & pileo simili utebatur, inter tantos languores corporis & labores, nullis vnquam uti pellibus acquirere. In vestibus ei paupertas semper placuit, sordes nunquam. Nimirum animi fore indicium, aiebat, aut negligentis, aut inaniter apud se gloriantis, aut foris humanam gloriam affectantis. Incessus eius & habitus omnis, modestus & disciplinatus, praeferebat humilitatem, redolens pietatem, exhibens gratiam, exigens reuerentiam, solo visu latificans intuentes. De risu dicimus, quod ex ore eius frequenter audiuius, dum cachinnos religionis hominum miraretur, non meminisse se à primis annis suae conuersionis aliquando sic risisse, ut non potius ad ridendum, quam ad reprimendum sibi vim facere oportere, & risui suo magis stimulum adhibere, quam frenum. Vocè illi in inualido corpore validam fatis, intelligibilemque contulerat, qui in opus praedicationis segregauerat illum ex utero matris suae. Sermo ei, quoties opportuna inueniebatur occasio, ad quasunque personas de aedificatione animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores & studia nouerat, quibusque auditoribus congruens habebatur. Sic rusticis plebibus loquebatur, ac si semper in rure nutritus: sic ceteris quibusque hominum generibus, ubi si omnem inuestigandis eorum operibus operam impendisset. Literatus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectiois & sapientiae affluens documentis, omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo. Cautus erat artificiosissime obseruare, quod ad Eugenium Papam scribens, de sui cordis plenitudine eructauit:

CAP. III.

Nvgae si incidant, interdum, inquit, ferendae fortassis, referendae nunquam. Interueniendum cautè & prudenter nugacitati. Prorumpendum sanè in serium quid, quod non solum uiliter, sed & libenter audiant, ut superfedean ociosis. Quam uero placabilem & persuasibilem, quamque eruditam linguam dederit ei DEVS, ut sciret, quem & quando deberet proferre sermonem, quibus uidelicet consolatio vel obsecratio, quibus exhortatio congrueret aut increpatio, nosse poterunt aliquatenus, qui ipsius legerint scripta: etsi longè minus ab eis, qui uerba oris eius saepius audierunt. Siquidem diffusa erat gratia in labijs eius, & ignitum eloquium eius vehementer: ut non posset ne ipsius quidem stylus eximius, totam illam dulcedinem, totum retinere feruorè. Mel & lac sub lingua eius, & nihilominus in ore eius ignea lex, iuxta illud Cantici Canticorum: Sicut uitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. Indè erat, quod Germanicis etiam populis loquens, miro audiebatur affectu, & ex sermone eius, quem intelligere, utpotè alterius linguae homines, non ualebant, magis quam ex peritissimi cuiuslibet post eum loquentis interpretis, intellecta locutione aedificari illorum deuotio uidebatur, & uerborum eius magis sentire uirtutem. Cuius rei probatio certa, tunso pectorum erat, & effusio lachrymarum. Utebatur sane scripturis tam liberè commodeque, ut non tam sequi illas, quam praecedere crederetur, & ducere ipse quò uellet, auctorem earum ducem spiritum sequens. Quem nimirum, ut in medio Ecclesiae aperiret os eius, sic spiritu Deus impleuerat sapientiae & intellectus, ut, secùdum quod in libro Iob legitur, profunda quoque fluuiorum scrutaretur, & abscondita proferret in lucem. Nam & confessus est aliquoties, sibi meditati vel oranti, sacram omnem uelut sub se positam & expositam sibi apparuisse scripturam. Ceterum quae gratis euangelizauerit, quis dignè praedicet? quis dignè miretur? Minus fore credidit, nullas sibi ab auditoribus transitorias petere facultates, nisi oblatas saepius refutaret etiam Ecclesiasticas dignitates. Parum illi fuit, nulla quare.

Præclara eius obedientia.

Nunquam uirtutis pellibus.

Nota quam fuerit à risu alienus.

Sermonem suum accommodat auditoribus.

Lib. 2. De Consideratione, sub finem.

Facundia eius, & in praefendo sermone grauitas.

Psal. 44. & 118.

Cant. 4.

Iob. 28.

Omnis diuinae scripturae sensus ei diuinitus explicatur.

re stipendia militantem: ne insignia quidem recipere acquiruit. Denique velut alteri
 Dauid processurus ad bellum, bellica arma sibi grauiora causatus est, vtpote quibus
 multos, suo praesertim tempore, cerneret praegravari: & in simplicitate sua gloriosius
 triumphabat. Tantam enim gratiam virtus diuina ei contulerat, vt licet abiectus esse
 elegisset in domo Dei, vberius tamen fructificaret in ea, quam alij quilibet in sublime
 porrecti: ampliusq; lucret Ecclesiae, velut de sub modio humilitatis suae, quam cate-
 ri supra candelabra constituti. Nimirum quo humilior, eo semper vtilior fuit popu-
 lo DEI in omni doctrina salutari: in quo tamen nunquam tenere voluit locum do-
 ctoris. Beatus plane, qui, sicut ipse de quodam sanctorum air, legem dilexit, & cathedra
 non affectauit. Quam feliciter siquidem in virtutum cathedra sedere meruit, dum se-
 dere noluit in cathedris dignitatum. Denique sicut iustus & fortis in praedicatione
 Evangelica laborauit, sic prudens & temperans cauit sibi semper ab Ecclesiastica pra-
 latione. Nec enim contumaciter vnquam renuit, sed frequenter & ad maximos ele-
 ctus honores, prudenter egit, diuina sibi cooperante gratia, ne cogereur aliquando
 Moyse quidem sanctus Pontificum concessit Aaron fratri suo, quia linguae erat im-
 peditioris: Bernardum nosstrum, non ab opere Euangelistae necessitas aliqua, sed ab ho-
 nore solo, sola humilitas reuocauit. Merito proinde apud DEVM & homines obti-
 nuit gratiam singularem, qui non modo sine sumptu, verum etiam sine gradu digni-
 tatis, non autem sine fructu fraternae salutis, Euangelium posuit, & populo Dei sem-
 per prodesse studuit, nunquam praesesse sustinuit. Raro tamen, nec nisi ad loca proxi-
 ma, vt praedicaret, exiit: sed quoties eum necessitas aliqua traheret, seminabat super
 omnes aquas, publice & priuatim annuncians verbum Dei. Quod tamen ipsum ex
 mandato summi Pontificis actitabat: ad nutum quoque Praesulum caeterorum, vbi-
 cunque eorum aliquem contigisset adesse, similiter faciebat. Nimirum quanto ma-
 gnus erat, humiliabat se in omnibus: & eo magis sacerdotibus omnibus deferbat,
 quo plenius intellexerat, quae ministris Christi reuerentia deberetur;

1. Reg. 17.

Respuit
multas sibi
oblatas di-
gnitates.
Exod. 3.

Ecc. 3.

CAP. IIII.

NEC tacendum, quod ex praedicatione itineris Hierosolymitani graue contra eum
 quorundam hominum vel simplicitas, vel malignitas scandalum sumpsit, cum
 tristior sequeretur effectus. Quod tamen verbum dicere possumus ab eo quidem ini-
 tium non sumpsisse. Cum enim multorum iam animos permouisset audita neces-
 sitas, a Rege Francorum semel & iterum propter hoc experitus, Apostolicis etiam lite-
 ris monitus, non sic acquieuit super hoc loqui, vel consilium dare: donec per ipsius
 tandem summi Pontificis generalem epistolam iussus ab eo est, tanquam Romanae
 Ecclesiae lingua, exponere populis atque principibus. Cuius epistolae tenor fuit, vt in
 poenitentiam & remissionem peccatorum iter arriperent, aut liberaturi fratres, aut
 suas pro illis animas posituri. Haec & huiusmodi super hoc poterant veraciter dici:
 sed dicendum potius id, quod potius fuit. Euidenter enim verbum hoc praedicaui,
 D O M I N O cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. Sed quan-
 tis & quam multiplicibus signis? Quanta numerare, ne dicam narrare, difficile foret.
 Nam & eodem tempore scribi coeperant: sed ipsa demum scriptorem numerositas
 scribendorum, & materia superauit authorem: nimirum cum aliquando vna die vigin-
 ti seu plures ab incommodis varijs sanarentur, nec facile ab huiusmodi dies vlla vaca-
 ret. Deniq; plures eo tempore Christus per serui sui tactum & orationem, ab ipsis etiam
 matris vteris caecos videre, claudos ambulare, aridos coalescere, surdos fecit audire
 & mutos loqui, mirabilius restituent gratia, quod minus praestitum fuerat a natura.
 Nec tamen ex illa professione Orientalis Ecclesiae liberari, sed caelestis laetari meruit &
 impleri. Quod si placuit Deo tali occasione plurimorum quidem eripere, si non Ori-
 entium corpora a paganis, Occidentalium animas a peccatis: quis audeat dicere illi,
 Quid fecisti sic? Aut quis certe sapiens illorum sortem magis non doleat, qui ad prio-
 ra, vel forte ad peiora prioribus scelera redierunt, quam eorum morte, qui in fructibus poe-
 nitentiae purgatas varijs tribulationibus animas Christo reddiderunt? Alioquin quan-
 tum dicant Aegyptij, dicant filij tenebrarum, qui veritatem nec videre valent, nec profer-
 re, Callide eduxit eos, vt interficeret in deserto: patienter tolerat Christus Saluator
 opprobrium, quod tantarum animarum salute compensat. Meminit huius verbi
 ipse quoque venerabilis Pater, inter caetera dicens: Si necesse sit vnum fieri ex duobus,
 malo in nos murmur hominum, quam in Deum, esse. Bonum mihi, si dignetur me vti
 pro

Innumeris
elaret mi-
raculis.Viginti-
gri aut plu-
res aliquan-
do vno die
curantur.Libenter ho-
minum Sy-
cophantias
& obloquia
tolleat
propter
Christum.

pro

pro clypeo: libens excipio in me detrahentium linguas maledicas, & venenata spicula blasphemorum, ut non ad ipsum perueniant. Non recuso inglorius fieri, ut non irruatur in Dei gloriam. Hoc siquidem ille in libro de Consideratione.

Accidit autem, ut ubi primum de eiusdem exercitus dissipatione lamentabilis intra Gallias insonuerat rumor, ut illuminandum Dei famulo cæcum filium offerens pater, multis precibus vinceret excusantem. Et imponens sanctus puero manum, orabat ad Dominum, quatenus si ab eo verbum prædicationis illius exierat, si prædicationi spiritus eius affuerat, in illius illuminatione ostendere dignaretur. Dum verò post orationem orationis præstolaretur effectum, Quid facturus sum? ait puer. Video enim, At tollitur illic clamor adstantium. Plures enim non modo è fratribus, verum etiam è secularibus aderant: qui ut puerum videre videntem, multipliciter consolati, Deo gratias referebant.

Illud etiam incundè satis credimus considerasse nonnullos, quòd eadem hebdomada, qua felicissima anima eius carne soluta est, ecclesia Hierosolymitana magnificè satis fuerit diuino munere consolata, sicut sæpius nouerunt illum polymitana magnificè dem capta est Afcalon illa munitissima, paucis à sancta ciuitate milliaris distans, & periculosè instans calcaneo eius. Aduersus hanc quinquaginta annis & eo amplius quam hu. nihil profecerant Christiani laborantes, nam & tunc non humana virtute capta est, sed diuina. Nec incongruum nunc ipsius interserere verba, qua eodem scripserat anno ad virum optimum militem templi, tunc ministrum, nunc etiam magistrum militiæ templi, qui ipsius secundum carnem auunculus erat: Væ principibus nostris, ait. In terra Domini nihil boni fecerunt: in suis, ad quas velociter redierunt, incredibilem exercent malitiam, & non compatiuntur super contritione Ioseph. Confidimus autem, quia non repellet Dominus plebem suam, & hæreditatè suam non derelinquet. Porro dextera domini faciet virtutem, & brachium suum auxiliabitur ei: ut cognoscant omnes, quia bonum est sperare in Domino, quàm sperare in principibus. Sed de his hætenus.

CAP. V.

IAM & illud propter posteros memorandum, quàm multipliciter viri sancti doctrina Ecclesiæ sanctæ profuerit in catholicorum moribus corrigendis, in schismaticorum furoribus reprimendis, in hæreticorum erroribus confutandis. Siquidem præter eos, quos docuit sobriè & iustè & piè viuere in hoc seculo, quanto etià perfectius valedicere seculo persuaserit, vel ex hoc liquet, quòd non cessauit, quandiu vixit, deserta seculi, seculi desertoribus implere. Cuius ministerio videtur propheticum illud etiam corporaliter exhiberi: Posuit deserta in stagna aquarum, & terram sine aqua in exitus aquarum: Et collocauit illic esurientes, & constituerunt ciuitatè habitacionis: Et seminauerunt agros, & plantauerunt vineas, et fecerunt fructum natiuitatis: Et benedixit eis, & multiplicati sunt nimis, & iumenta eorum non minorauit. Sanè in diebus schismatis generalis, quàm fideliter seruus Domini stetit in contrafractioe in conspectu eius, ut auerteret iram eius: quàm efficaciter stetit & placauit, cessauitque quassatio: quàm denique euidenter in tempore iræ factus est reconciliatio, non modò latius prosequendum. Sufficere interim potest, si ipsius super hoc scribentis ad eum Innocentij Papæ verba ponamus: Quàm firma, ait, quàm perseverantiq; constantia causam beati Petri & sanctæ matris tuæ Romanæ Ecclesiæ, incandescente Petri Leonis schismate, feruor tuæ religionis & discretionis suscepit defendendam, & se murum inexpugnabilem pro domo Dei ponens, animos regum ac principum, & aliarum tam ecclesiasticarum quàm secularium personarum ad Catholicæ Ecclesiæ vnitatem, ac beati Petri ac nostram obedientiam frequentibus argumentis & ratione munitis inducere laborauerit, magna, quæ Ecclesiæ & nobis prouenit, utilitas manifestat. In quibus autè pro fide quoque magnificè egerit seruus fidelis & prudens, breuiter annexendum est.

Fuit in diebus illis Petrus Abailardus, magister insignis & celeberrimus in opinione scientiæ, sed de fide perfidè dogmatizans. Cuius cum blasphemis plena grauissimis volitare vndique scripta cœpissent, prophanas nouitates vocum & sensuum execrati viri eruditi atque fideles, ad hominem Dei rerulerunt. Qui nimirum solita benignitate & bonitate desiderans errorem corrigi, hominem non confundi, secreta illum admonitione conuenit. Cum quo etiam tam modèstè, tamque rationabiliter egit, ut ille quoque compunctus, ad ipsius arbitrium correcturum se promitteret vniuersa. Cæterum cum recessisset ab eo Petrus idem, consilij stimulatus iniquis, & ingenij sui viribus

Afcalon capitur, diuina potius quam humana virtute.

Psal. 117.

Innocentij Papæ literæ ad S. Bernardum.

Petrus Abailardus, vir doctissimus, sed hæreticus, spargit impia dogmata.

Viribus plurimoque exercitio disputandi infeliciter fidens, resiliit à proposito saniori. Expetēs denique Senonensem metropolitanum, eò quòd in eiusdem ecclesia celebrandum foret in proximo grande concilium, Claraualensem causatur Abbatem suis in occulto detrahare libris: additque paratum se esse in publico sua defendere scripta, rogans vt prædictus Abbas diciturus, si quid haberet, ad concilium vocaretur. Factum est, vt postulauit: sed vocatus Abbas, venire penitus recusauit, suum hoc non esse renunciens. Postea tamen, magnorū virorum monitis flexus, nè videlicet ex ipsius absentia & scandalum populo, & cornua crescerent aduersario, demum pergere accipieuit, tristis quidem nec sine lachrymis annuens, sicut in epistola ad Innocentium Papam ipse testatur, vbi plenius lucidiusque omne negocium prosequitur.

Affuit dies, & Ecclesia copiosa conuenit, vbi à Dei famulo Petri illius in medium scripta prolata sunt, & erroris capitula designata. Demum illi optio data est, aut sua esse negandi, aut errorem humiliter corrigendi, aut respondendi, si posset, obijciendis sibi rationibus pariter & sanctorum patrum testimonijs. At ille nec volēs respicere, nec valens resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur, vt tempus redimeret, sedem Apostolicam appellauit. Sed & postea ab egregio illo catholice fidei aduocato monitus, vt vel iam, sciens in personam suam nihil agendum, responderet tam libere quam securè, audien dus tantum & ferendus, hoc quoque omnimodis recusauit. Nam & confessus est postea suis, quia ea hora maxima quidem ex parte memoria eius turbata fuerit, ratio caligauerit, & interior fugerit sensus. Nihilominus tamen Ecclesia, quæ conuenerat, dimisit hominem, multauit abominationem, à persona abstinens, sed dogmata praua condemnans. Quando verò Petrus ille refugium inueniret in fede Petri, tam longè dissidens à fide Petri? Et ipsum ergò authorem eadem sententia cum erroribus suis Apostolicus Præsul inuoluens, hæreticumque denunciens, scripta incendio, scriptorem silentio condemnauit.

Fuit item Gillebertus, quem cognominauere Porretanum, Pictaunorum Episcopus, in sacris libris plurimum exercitatus, sed sublimiora se etiam sæpè ad insipientiam sibi scrutatus. Siquidem de sanctæ Trinitatis vnitate, & de diuinitatis simplicitate non simpliciter sentiens, nec fideliter scribens, discipulis suis panes proponebat absconditos, furtiuas propinabat aquas: nec facillè, quid saperet, immò quantum desiperet, personis authenticis fatebatur. Timebat enim, quod apud Senonas Petrum dixisse ei ferunt:

Tunc tua res agitur, paries cum proximus ardet.

Nouissimè tamen, cum iam fidelium super hoc inualesceret scādalum, cresceret murmur, vocatus ad medium est: & librum tradere iussus, in quo blasphemias euomerat, graues quidem, sed verborum quodam inuolucro circumseptas. In concilio igitur, quod in vrbe Rhemorum Papa venerabilis Eugenius celebrauit, egit cominus aduersus hunc Gillebertum Ecclesiæ sanctæ suo tempore singularis athleta Bernardus, primò quidem totum, quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, eliciens: Deinde verò tam suis ratiocinijs, quam sanctorum testimonijs biduana disputatione redarguens: considerans sanè nonnullos ex his, qui præsidebant, iam quidem animaduertentes blasphemiam in doctrina, adhuc auertentes tamen iniuriam à persona: accensus est zelo, & domesticam sibi ecclesiam seorsum conuocat Gallicanam. Communi denique consilio à patribus decē prouinciarum, alijs autem Episcopis & Abbatibus plurimis, dictante viro Dei, nouis dogmatibus opponitur symbolum nouum. Cui etiam subscribuntur nomina singulorum, vt eorum videlicet omnium, sicut fides irreprehensibilis, sic irreprehensibilis zelus innotescat. Ita demum Apostolico iudicio & autoritate vniuersalis Ecclesiæ, error ille damnatur: Episcopus Gillebertus, an eidem damnationi consentiat, interrogatur: consentiens, publiceque refutans, quæ prius scripserat & affirmauerat, indulgentiam ipse consequitur: maximè quòd ab initio cautus fuisset ea lege eandem ingredi disceptationem, vt promitteret sine vlla obstinatione sese pro Ecclesiæ sanctæ arbitrio correcturum liberè suam opinionem.

In partibus Tolosanjs Henricus quidam, monachus olim, tunc apostata vilis, pessimæ vitæ, perniciosissimæque doctrinæ, verbis persuasibilibus gentis illius occupauerat leuitatem, & vt prædixit Apostolus de quibusdam, in hypocrisi loquēs mendacium, fideis verbis de eis negociabatur. Erat autem hostis Ecclesiæ manifestus, irreuerenter Ecclesiasticis derogans sacramentis pariter & ministris. Nec mediocriter

Concilium
Senonense.

Petrus Abailardus, licet hæreticus, tamen agnoscit Ro. Pontificis auctoritatem.

Damnatur à Ro. Pontifice.

Gilleberti Porretani errores.

Concilium Rhemense, p'sente Eugenio Pontifice.

Gillebertus agnoscit errorem suum, & in petrat veniā in Concilio.

Nota de Henrico monacho apostata, typo hæreticorū nostri tēporis. in ea 1. Tim. 4.

in ea iam malignitate profecerat. Sicut enim de eo scribēs venerabilis pater ad principem Tolosanum, inter cetera ait: Passim inueniebatur iam ecclesiae sine plebibus, plebes sine sacerdotibus, sacerdotes sine debita reuerentia, sine Christo denique Christiani. Paruulis Christianorum, Christi vita intercludebatur, dum baptismi gratia negabatur. Ridebantur orationes oblationesque pro mortuis, sanctorum inuocationes, sacerdotum excommunicationes, fidelium peregrinationes, basilicarum aedificationes, dierum solennium vacationes, chrisimatis & olei consecrationes, & omnes denique institutiones Ecclesiasticae spernebantur.

Hac necessitate vir sanctus iter arripuit ad ecclesiam regionis illius, sapiens iam antea rogatus, & tunc demum à reuerēdissimo Alberico Ostiensi Episcopo & Legato sedis Apostolicae persuasus, pariter & deductus. Veniens autem, cum incredibili deuotione susceptus est à populo terrae, acsi de caelo Angelus aduenisset. Nec moram apud eos facere potuit, eò quòd irruentium turbas nemo reprimere posset: tanta erat frequentia diebus ac noctibus aduentantium, benedictionē expetentium, flagitantium opem. Prædicauit tamen in ciuitate Tolosa per aliquor dies, & in ceteris locis, quæ miser frequentasset amplius, & grauius infecisset, multos in fide simplices instruens, nutantes roborans, errantes reuocans, subuersos reparans, subuersores & obstinatos autoritate sua premens & opprimens: vt, non dico resistere quidem, sed nec apparere præsumerent. Ceterum etsi tunc fugit Henricus ille & latuit, ita tamen impedita sunt viæ eius, & semita circumsæpta, vt vix alicubi tutus, postea tandem captus & catenatus Episcopo traderetur. In quo itinere plurimis etiam signis in seruo suo glorificatus est Deus, aliorum corda ab erroribus impijs reuocans, aliorum corpora à languoribus varijs sanans.

Est locus in regione eadem, cui Sarlatum nomen est: vbi sermone completo, plurimos ad benedicendum panes, sicut vbiq̄ fiebat, Dei famulo populus offerebat. Quos ille eleuata manu & signo Crucis edito, in Dei nomine benedicens: In hoc, inquit, scietis vera esse, quæ à nobis: falsa, quæ ab hæreticis suadentur, si in firmi vestri, gustatis panibus istis, adepti fuerint sospitatem. Timens autem venerabilis Episcopus Carnotensis, magnus ille Gaufridus, (siquidem præsens erat & proximus viro Dei) Si bona, inquit, fide sumpserint, sanabuntur. Cui pater sanctus, de Domini virtute nihil hæsitans: Non hoc ego dixerim, ait: sed verè, qui gustauerint, sanabuntur: vt proinde veros nos & veraces Dei nuncios cognoscant. Tam ingens languentium multitudo, gustato eodem pane, conualuit, vt per totam prouinciam verbum hoc diuulgaretur, & vir sanctus vicina per loca regrediens, ob concursus intolerabiles declinauerit, & timuerit illò ire.

CAP. VI.

Celeberrimum sanè miraculum, quòd per seruum suum in partibus Tolosanis Christus exhibuit, paralytici cuiusdam clerici curatio fuit. Hunc in domo regularium clericorum sancti Saturnini, quorum ipse vnus erat, ad petitionem Abbatis & fratrum visitans homo Dei, moribundum inuenit hominem, qui extremum spiritum trahere videretur. Consolatus itaque miserum, & data benedictione egrediens, sicut postea confessus est, loquebatur in corde suo fidelis seruus Dei, ad Dominum tam fiducialiter, quàm fideliter dicēs: Quid expectas Domine Deus? Generatio hac signum quaerit. Alioquin minùs apud eos nostris proficimus verbis, nisi abs te fuerint confirmata sequentibus signis. Eadem hora exiliit paralyticus ille de grabato, & accurrens, secutus & consecutus est eum, sacra vestigia deuotione, qua debuit, amplexatus. Cui subito procedenti obuians ex concanonice vnus, expauit & exclamauit: siquidem phantasma putabat. Quando enim de lectulo crederet surgere potuisse? Egressam magis à corpore eius animam phantasticè sibi apparuisse arbitratus, aufugit: sed demum ipsa tam ei, quàm ceteris, rei veritas fidem fecit. Egreditur exinde sermo inter fratres, curritur ad spectaculum tam iucundum, ipse etiam inter primos accurrit Episcopus & Legatus: indè pergitur ad ecclesiam eo ipso, qui conualuerat, præeunte, & conclamatur in laudes Dei, eodem pariter concinente: ruit vndiq̄ populus, & benedicuntur Deus, triumphat fides, infidelis quisque confunditur, exultat pietas, & impietas contabescit. Porro vir Dei cellam, vbi manebat, ingressus, diligenter omnes obseruari aditus, oblerari ianuas iubet, nè quis pateat accessus populo concurrenti. Sanè is quidem Bernardus, qui sanus factus est, (hoc enim clerico nomen erat) corporali beneficio non ingratus, magisque sollicitus pro remedio spirituali, secutus est seruum

Impuissim
heretici cõ
menta vir
sanctus pro
fligat è po
pulo.

In itinere
multa signa
facit.

Confirmat
verã fidem
miraculis.

Benedictio
pane sanat
plurimos.

Paralyticus
moribundus
repenitẽ cu
ratur.

Idem para
lyticus post
curationem

seruum Christi, monasticum in Claraualle ordinem profitemus, & habitum sumens. A quo etiam missus ad partes iterum Tolofanas, & Abbas illic constitutus, hodieque monasterio praest, quod Vallis Aquae dicitur.

Cum autem per totum ab eadem prouincia reditum viri sancti magis magisque signa crebrescerent, & multiplicarentur in dies, non pretereundum, quidnam ipse animi inter haec gereret, qui a Christo humilitatem cordis & mansuetudinem didicisset. Disputans enim secum in cogitationibus suis, & ex ipsa demum locutus abundantia cordis sui, domesticis sibi religiosis quibusdam fratribus aiebat: Plurimum miror, quidnam sibi haec miracula velint: quid visum sit Deo, talia actitare per talem. Nil mihi videor in sacris paginis super hoc genere legisse signorum. Siquid facta sunt aliquando signa per sanctos homines & perfectos, facta sunt & per fictos. Ego mihi nec perfectionis conscius sum, nec fictionis. Scio enim sanctorum mihi non supertere merita, quae miraculis illustrentur: confido autem nec ad eorum sortem me pertinere, qui virtutes multas in nomine Domini operantur, & a Domino ignorantur. Haec & humilissimi crebrius secretiusque cum viris spiritualibus conferebat. Nouissime vero opportunum sibi meritis visum exitum reperisse: Scio, inquit, huiusmodi signa non ad sanctitatem vnius, sed ad multorum spectare salutem: nec Deum in homine, per quem talia operetur, perfectionem considerare, sed opinionem: ut in eo commendet hominibus, quae illi creditur inesse, virtutem. Neque enim pro eis fiunt haec, per quos fiunt: sed pro eis fiunt magis, qui vident illa vel sciunt. Nec eo fine per eos ista Deus operatur, ut ipsos probet caeteris sanctiores, sed ut caeteros magis amatores & aemulatores faciat sanctitatis. Nihil ergo mihi & signis istis, quandoquidem mea illa fama magis, quam vitae, nouerim exhiberi: nec ad meam fieri commendationem, sed ad commotionem potius aliorum. Satis nimirum huius viri mirabitur animu, quisquis haec diligenti consideratione pensauerit: nec praestantius reputabit aestimator quisque fidelis, signa atque prodigia mirabiliter operari, quam perpetrata taliter interpretari. Sibi quoque non minus utile iudicabit, imitandos eius affectus, quam mirandos actus, & morum insignia, quam operum signa cognoscere. Sed ad haec quis idoneus?

In huius siquidem pectore viri Dei puritas suauitasque, confederant pari foedere: satis quidem utraque mirabilis, sed mirabilior utriusque complexus. Inde nimirum tam singulariter in vnum hominem totius orbis vota pariter concurrebant, quod puritatem suauitatis amabilem faceret, suauitatem puritatem acceptabilem: ut difficile fuerit aestimare, gratiae ne an reuerentiae amplius obtineret. Quis enim tam rigidae conuersationis, qui Claraualensem non reuereretur Abbatem? Quis tam dissolutae, qui non erga eundem dulciter afficeretur? Dulcissimis enim affectibus plenum pectus ipse gerebat: sed quam liberè eos, quotiens causa posceret, coercerebat. Humanissimus in affectione, magis tam fortis in fide. Et ut breue aliquod huius rei proferamus exemplum, sicut ipse quoque testatur in sermone super Cantica Canticorum vicesimo sexto, sicis oculis germani sui, & germani tam necessarii, tam dilecti, Gerardi videlicet, celebravit exequias, sicis oculis corpus eius tradidit sepulturae, ne affectus fidem vincere videretur. Nam extraneum quilibet vix aut nunquam sine lachrymis sepeliuit. Talem sibi illu, vberius proinde sanctificaturum, manus diuina formauerat, ut austeritatem suauitatis morum tolleret, auctoritatem sanctitatis conseruaret. Cui enim vel tanta benignitas esset oneri, vel tanta bonitas non esset honori? Legimus de Salomone, quod omnis terra desiderauerit videre vultum illius. Grande praeconium: sed forsitan in hac parte non minus, quam Salomon, hic. Neque enim satis credibile est, Salomonem illum in omni gloria sua tam vniuersalem orbis obtinuisse fauorem, quam humilitate. Immo vero difficile omnino videtur, ex historijs aliquibus inuenire hominem vnum, conuersantem adhuc cum hominibus, in vniuersa terra tam celebre & amabile obtinuisse nomen, a solis ortu & occasu, ab Aquilone & mari. Ut enim illas memoremus prouincias, ex quibus usque hodie monumenta certiora superesse noscuntur, & in Ecclesia Orientali, & apud soles occidentuos Hybernorum, & a meridie in remotissimis finibus Hispaniarum, & ab Aquilone in insulis, quae procul sunt, Daciae Suediaeque opinio eius celeberrima fuit. Crebras undique recipiebat epistolas, & reddebat. Undique ei xenia mittebantur, undique eius benedictio perebatur. Postremo quasi vitis abundantissima, eius opinio suos undique palmites propagauit, excepto quod in terram Hierosolymitanam, quanuis locus esset a Rege paratus, ob incursum paganorum & aeris intemperiem, non acquieuit mittere fratres suos. Neque verò Epi-

fic monach^{us}
Claraualle-
sis & Abbas
Vallis aquae.

Vide inter
tot miracu-
la humilita-
tem sanctis-
simi viri.

Math 7.

Mira in eo
puritas &
suauitas mo-
rum.

Facile im-
perat affe-
ctibus suis.

Sicis ocn-
lis sepelit di-
lectu suum
germanum
Gerardum.

1. Reg. 10.

Celeberrima fama be-
ati viri.

scopus ille incongruum aliquid vsurpasse videtur, qui post sacrum eius obitum, dum fratres consolaretur, inter cetera hoc quoque in ipsius profecutus est laudem: quia in omnem terram exiuit sonus eius, & in fines orbis terra verba illius. Vincebat tamen sublimitatem nominis, humilitas cordis: nec tantum poterat vniversus mundus eum erigere, quantum se ipse deicere solus. Summus reputabatur ab omnibus, in finium ipse se reputans: & quem sibi omnes, ipse se nemini praeferbat. Denique sicut nobis saepius fatebatur, inter summos quosque honores & fauores populorum vel sublimium personarum, alterum sibi mutuatus hominem videbatur, seque potius reputabat absentem, velut quoddam somnium suspicatus. Vbi vero simpliciores ei fratres, vt assoler, fiducialius loquerentur, & amica liceret semper humilitate frui, ibi se inuenisse gaudebat, & in propriam redisse personam. Innata ei a puero verecundia, vsque ad diem perseuerauit extremum. Inde erat, quod licet tam magnus esset & excelsus in verbo gloriae, nunquam tamen, sicut saepe audiuius eum protestantem, in quolibet humili coetu sine metu & reuerentia verbum fecit, tacere magis desiderans, nisi conscientiae propriae stimulus vrgeretur, cum timore Dei & charitate fraterna.

Perpetua ei verecundia vsque ad obitum.

Eius in perpetuis molestijs extrema patientia.

Patientiam eius maxime quidem Dominicis flagellis exercitam nouimus & probatam: qui nimirum ab ipso suae conversionis initio vsque ad diem sacrae depositionis tanta sustinuit, vt vita eius his, qui nouerant, non nisi quaedam mortis protelatio videretur. Ceterum erga homines quoque, etsi rarior ei occasio minora forsitan patientiae potuit experimenta praestare, dicendum tamen vel breuiter, ne huius quidem apparuisse eum virtutis immunem. Et quia genus hoc patientiae solitus erat dicere tripartitum, videlicet ad verborum iniurias, ad damna rerum, & ad corporis laesionem: de singulis singula saltem proponamus exempla, quae interim nobis occurrunt. Scripsit aliquando Dei famulus ad Episcopum aliquem de curia & consilio Regis, monens eum super quibusdam negocijs Regi suadere & consulere meliora. At ille vehementer exacerbatus, amarissimam condidit epistolam, dicens in salutatione prima, Salutem, & non spiritum blasphemiae: tanquam videlicet vir sanctus (quod horror est dicere) ex blasphemiae spiritu illa scripsisset. Ad quod verbum manserimus Christi seruus, memor Dominicae responsionis, Ego daemionium non habeo: sicut hodieque extans eius epistola continet: Minimè quidem, ait, spiritum blasphemiae me habere credo, sed nec male dixisse cuiquam, aut maledicere velle me scio, praesertim praecipui populi mei. Nec minus postea charum, nec minus familiarem eundem Episcopum habuit: sed elogium illud praedictum sic fuit, quasi non dictum.

Iohan. 8.

Ingentis pecuniae factu rã fert placidissime.

Item decem monasteriorum.

Abbas Farcensis conuentum fratrum à Claraualle vocauerat, monasterium eis aedificaturus: sed Romanus impediuit Antistes, & sibi tollens eos, in alio loco ordinauit. Vnde plurimum dolens praedictus ille vir magnus & magna deuotionis, collectam pecuniam sexcentarum ferè marcarum argenti, deposuit sub chirographo: quam, ad Dei hominem veniens, obtulit ei, rogans, vt quod non meruerat in partibus suis, vel citra Alpes nouum exinde caenobium conderetur. Missum est pro argento, & prorsus totum amissum. Nec respondit aliud homo Dei, cum ei nunciaretur, quam, Benedictus Deus, qui nobis pepercit ab onere. Nam & illis, inquit, qui abstulere, leuius indulgendum: sunt enim Romani: & pecunia videbatur immanis, ac vehemens fuit illa tentatio. Gratulari autem consueuerat, decem circiter monasteria, vel aedificandis monasterijs loca congrua numerans, fraudulentè sibi & violenter ablata, dum contendere nollet, & magis eum vinci, quam vincere, delectaret.

Attendant hunc locum instabiles monachi.

In maxilla grauius percussus, grauius in terdit, ne quid mali fieri percussori.

Veniens aliquando Clarauallensem clericus quidam ex his, quos Regulares canonicos vocant, importunè satis instabat, vt in monachum reciperetur. Suadente patre sancto, vt ad suam reuerteretur ecclesiam, nec acquiescente recipere eum: Vt quid ergo, ait, in libris tuis perfectionem tanto perè comendasti, si eam desideranti, operam renuis exhibere? Et maligno spiritu iracundiae vehementer instigatus, sicut postmodum euidenter apparuit: iam, inquit, si illos tenerem, discernerem libros. Cui vir Domini: Puto, ait, in nullo illorum legisti, non posse te in tuo claustro esse perfectum. Morum correctionem, non locorum mutationem, (si benè meministi) in libris omnibus commendaui. Tum verò impetum faciens homo, velut insanus, in eum, percussit maxillam eius, idque tam grauius, vt succederet statim rubor, tum rubori. Iam qui aderant, in sacrilegum inuolabant: sed praueñit eos famulus Domini, clamans & adiurans per nomen Christi, nullatenus eum tangere, sed educere eum caute, & curam eius habere, ne ab aliquo ei vel in aliquo noceretur. Quod tam distictè praecipit,

cepit, vt miser ille timens & tremens, absque omni iniuria eductus sit & deductus.

Et quidem in libertate spiritus Dei famulus excellenter enituit, cum humilitate & mansuetudine tamen, vt quodammodo videretur & vereri neminem, & omnem hominem reuereri. Inreparatione rariùs utebatur, monitis & obsecrationibus potiùs agens. Quàm verò inuitus, & nõ ex cordis amaritudine, verbum proferret amarum, ex eo maximè animaduertebatur, quòd perfacilè eiusmodi impetum cohiberet. Siquidem mirabatur hominum improbitatem, quos aliquandò fortè turbatos, excusationem quanlibet rationabilem, satisfactionem quanlibet humilem admittere, grauat: quòd ipsa suæ turbationis passio miseros sic delectet, vt oderint omne remediù, vt contineant aures, claudant oculos, obijciant manus, & omnimodis satagant, nè semel orta commotio, sedari valeat & sanari. Eius tamen obiurgationem non minùs facilè aliquandò compecebat grauis & turbulenta responsio, quàm humilis & modesta, vt ab aliquibus proindè diceretur cedenti insistere, cedere resistenti. Dicebat enim, vbi resonat vtrinque modestia, dulce esse colloquium: vbi vel ex parte altera, vile: vbi ex neutra, perniciosum: Vbi enim hincindè duritia sonat, iurgium est, non correctio: nec disciplina, sed rixa: vt deceat magis dissimulare prælatum interim, & commotione sanata, vtilius castigare subiectos: aut certè, si ita res exigit, obseruare consiliùm sapientis, Quia stultus non corrigitur verbis. Loquitur ipse de increpationibus, minùs vtiliter, minùs patienter acceptis, in Sermone super Cantica Canticorum quadagesimosextundo, dicens inter cætera: Vtinàm neminem obiurgare necesse sit: id enim melius. Sed quoniam in multis offendimus omnes, mihi tacere non licet, cui ex officio incumbit peccantes arguere: magis autem vrget charitas. Quòd si arguero, & fecero quod meum est, illa autem procedens increpatione minimè, quòd suum est, faciat, neque ad quod misi illam, sed reuertatur ad me vacua, tanquàm iaculum feriens & resiliens, quid me animi tunc habere putatis fratres? Nonne angor? Nonne torqueor? Et vt mihi vsurpem aliquid ex verbis magistri, quia de sapientia non possum, coarctor prorsus è duobus, & quòd eligam nescio: placere ne mihi in eo, quòd locutus sum, quoniam quòd debui, feci: an poenitentiam agere super verbo meo, quia quòd volui, non recepi. Et infra: Dicas forsitan mihi, quòd bonum meum ad me reuertatur, & quia liberaui animam meam, & mundus sum à sanguine hominis, cui annunciaui & locutus sum, vt auerteretur à via sua mala, & viueret. Sed etsi innumera talia addas, me tamen minimè ista cõsolabuntur, mortem filij intuentem: quasi verò meam illa reprehensione liberationem quasiërim, & non magis illius. Quæ enim mater, etiamsi omnem, quàm potuit, curam & diligentiam agrotanti filio adhibuisse se sciat, si demùm se viderit frustratam, & omnes labores suos esse penitus inefficaces, illo nihilominus moriente, propterea vnquam à fletibus temperabit? Et hæc hætenus.

Deceterò, tantus æmulator erat mansuetudinis & pacis, vt si fortè improbus quique peritor duriùs extorsisset à negante respõsum, haud facilè deinceps cum eadem repulsa dimitteretur inanis. Siquidem velut naturaliter, vt fatebatur, oderat omne scandalum: & grauanam cuiuslibet hominis sustinere, ei admodum graue: non sentire, impossibile erat. Idèd neminem spreuit, nullius hominis scandalum paruipedit, etsi veritatem Dei iustitiamque prætulcrit. Nam & quotiès oporteret noxios aliquorum vel reprehendere actus, vel impedire conatus, tam consideratè fiebat, vt abundanter ipsi quoque, qui læsi viderentur, haberent, vndè sibi pro eo satisfacerent in cogitationibus suis. Sanè vidimus ex ipsis nonnullos, & de quibus id minùs videbatur posse sperari, ampliori deuotione eius postmodùm vel obsequijs deseruisse, vel etiam adhaesisse vestigijs. Dicitur tamen & inuidos habuisse, vt haberet meritum ex eis. Cæterùm tam singulariter eminebat gloria nominis eius, vt pestis illa magis desperatione, quàm liuore, tabesceret, & timeret agnosci. Quinetiam humilitate eius & mansuetudine vincebatur, beneficijs suffocabatur, obruebatur obsequijs. Nimirùm doctus erat vincere in bono malum, sicut ad quosdam fratres scribens, inter cætera ait: Adharebo vobis, etsi nolitis: adhærebo, etsi nolim ipse. Inuitis præstabo, ingratum adijciam, honorabo & contemnentes me. Vsq̄ue adèd siquidem omnes homines germano amplectebatur affectu, vt eorum scandalo (sicut ipse fari solebat) grauius vreretur, quibus nullam videretur occasione scandali præbuisse. Plus enim pijssimum pectus, gratuetum alterius affligebat scandalum, quàm propriae immunitas conscientia solabatur. Siquidem minùs sperabat posse sanari, quòd, vndè procederet, non vi-

Stultus non
corrigitur
verbis.

Iacob 3.

Phillip. 4.

Ezech. 18.

Eximia eius
mansuetudo
& tranqui-
litas.

Inuidiã vt
vicetis.

Nulli p̄bet
occasione
scandalis.

debat: magnum sibi eregionè solatium fore perhibens, quotiès inueniret vndè satif-
facere posset vel homini pro se, vel Deo pro homine, non sine occasione turbato.
Summū ei⁹ gaudium fa-
lius anima-
rum.
Eius cōmi-
feratio ad
omnē crea-
turam.

debat: magnum sibi eregionè solatium fore perhibens, quotiès inueniret vndè satif-
facere posset vel homini pro se, vel Deo pro homine, non sine occasione turbato.
Summū ei⁹ gaudium fa-
lius anima-
rum.
Eius cōmi-
feratio ad
omnē crea-
turam.

CAP. VII.

HAE C nos quidem de sacris moribus patris nostri, pro modulo nostro, sub bre-
uitate perstrinximus. Caterum longè eminentiùs in suis ille libris apparet, & ex
bonis proprijs innotescit. In quibus ità suam expressisse videtur imaginem, & exhibu-
isse quoddam speculum suū, vt illud quoquè Ambrosianum meritò illi posse videatur
apari: Laude ipse se sonet & laureatus spiritu, scriptis coronetur suis. Si quis enim
nosse desiderat, quàm sollicitus ab initio suipius dijudicator & scrutator extiterit,
primum opus illius de Gradibus humilitatis inspiciat. Indè si queritur piæ mentis re-
ligiosa deuotio, transeundū ad Homilias in laudibus Virginis matris, & illum, què de
diligendo Deo edidit, librum. Si feruens contra suorum vel aliorum vitia zelus, lega-
tur is, quem Apologeticum vocat. Si vigil in zelo cordis & circumspecta discretio, de
Præcepto & dispensatione differens audiatur. Quàm verò fidelis cuiuslibet piæ con-
uersationis commendator extiterit & adiutor, Exhortatorius ad milites templi le-
mo declarat. Quàm non ingratus gratiæ Dei, ex his liquet, quæ de gratia & libero
arbitrio tam fideliter quàm vtiliter disputauit. Quàm liber in voce, quàm disertus, &
in rerum superiorum pariter inferiorumque scientia locuples, in his, quæ ad Papam
Eugenium de Consideratione scripsit, diligens considerator agnosceret. Quàm deuo-
tissimus prædicator alienæ sanctitatis, tam diligenter Episcopi sancti Malachie vitam
prosecutus ostendit. Nam & in sermonibus super Cantica, & mysteriorum inuestiga-
tor, & morum ædificator magnificus innotescit. In Epistolis, quas ad diuersas per-
sonas ob negocia diuersa dictauit, prudens lector aduertet, quo feruore spiritus iusti-
tiam omnem dilexerit, omnem æquè oderit iniustitiam. Fidelis etenim seruus Christi
non quærebat aliquid suum: quicquid tamen erat Christi, sic curabat vt suum. Quæ
enim scelera non arguit? quæ odia non extinxit? quæ scandala non compefcuit: quæ
schismata non refarciuit? quæ hæreses non confutauit? Quid verò sanctum, quid hon-
nestum, quid pudicum, quid amabile, quid bonæ famæ, quid virtutis aut laudabilis
disciplinæ, suis ortum in qualibet religione diebus, non roborauit eius autoritas?
non fouit charitas? diligentia non promouit? Quid antè promotum, dilatari ampli-
ùs non optauit? quid fortè collapsum, non totis pro loco & tempore viribus egit, vt
repararetur? Quis malitiam quancunque disponens, eius zelum & autoritatè non
timuit? Quis proponens quodecunque bonum, eius, si potuit, non consuluit sanctita-
tem? non considerauit fauorem? opem non flagitauit? Quis ad sacrū in eius pectore
habitantis templum diuinitatis, de quacunque tribulatione fideliter clamaturus ac-
cessit, & ineffaciter laborauit? Mœtus ab eo solatium, affictus auxiliū, consilium
anxius, æger remedium, pauper subsidium reportabat. Ità sese omnium fecerat ser-
uum, ac si toti genitus orbi: ità ramentem liber ex omnibus, conscientia suæ sollicitudi-
nem gerens, tanquam soli deditus curæ & custodia cordis sui. Et quidem diuisiones
gratiarum commendat Apostolus, & si quis diligenter querat, inueniet diuersos ab
initio Dei famulos in diuersis enituisse muneribus. Legimus enim viros in fide ma-
gnificos, multiplicibus claruisse miraculis: alios spiritū habuisse propheticum, & fu-
tura quas præsentia, occulta velut sub oculis posita mirabiliter cognouisse. Alios ni-
hilominus antiquorū literæ protestantur grauiori abstinentiæ deditos, parsimoniam
coluisse: alios in humilitatis proposito, spretis dignitatibus huius seculi, auctori seculi
plurimum placuisse: alios in doctrina verbi ad salutis scientiam plurimos erudisse, vt
secundum promissionem scripturæ sanctæ, luceant quasi stellæ in perpetuas æternita-
tes. Alij quoquè in ædificandis cœnobijs laborantes, amplificauerunt nomen sancti-
tatis: alij in sedandis scandalis & turbatinibus huius seculi, promouendis que Ecclesiæ
Dei

Summū ei⁹
gaudium fa-
lius anima-
rum.

Eius cōmi-
feratio ad
omnē crea-
turam.

Ex scriptis
suis vt pos-
sit agnosci.

Persequitur
vitia.

Fouet vir-
tutes.

Omnium se-
ruū facit.

1. Cor. 12.

Diuersa san-
ctorū homi-
num chari-
smata.

Dan. 12.

Dei negocijs efficaciter occupati, vtilis in actione: alij in sacris meditationibus spiritaliter feriati, sublimes in contemplatione fuerunt. Quid horum nostro videbitur de-
fuisse Bernardo? Immo quid horum tam insigne in eo non fuit, vt ad commendatio-
nem satis esset, etiamsi ceterorum aliquid non adesset? Nam etsi multiplicibus Eccle-
sia sui temporis, tam in supra memoratis negocijs, quam in alijs pluribus, actionis eius
utilitatem meruit experiri: magnifice tamen etiam gratia contemplationis in eo
ra ex visionibus & reuelationibus Domini, quam ex scriptis suis, quae spiritualibus exu-
berant sensibus, elucescit. Porro monasteriorum fructus, quae per eum Dominus or-
dinavit, tam copiosus & euidentis, humanis sese ingerit oculis, vt nullis egeat literis com-
mendari. Magis autem & ex ipsa quoque eorundem multitudine coenobiorum, om-
nis deinceps generatio certum capere poterit documentum, quantos collegerit ad
seruitium Christi, qui tam multos vniuersim, propagauit. Quod ad reliqua spectat, de hu-
militate eius, & dignitatibus refutatis, sed & de tenuissimo victu, superius prosecuti:
ex his, quae ad prophetiam pertinent, offensionemque virtutum, sub alio quidem prin-
cipio curabimus annotare per pauca de multis. Et nunc igitur iam super his, quae in si-
gnis exterioribus & multiplici virtutum exhibitione consistunt, secundus, vt praemis-
sum est in praefatione, libellus aliquanta narrabit.

S. Bernardus
vero omni-
bus videtur
dotatus gra-
tius.

LIBER QUARTVS.
CAPVT I.

Sicut Sermone super Cantica Canticorum vicequarto seruus
Domini Bernardus Claraualensis, gratulatur & gratias agit illi, ter-
tio quidem reditu ab Vrbe suam clementior de caelo respexit ocu-
lus: quia serenior tandem vultus arripit, eo quod quicquid rabies
Leonina, accepisset finem malitia, recepisset pacem Ecclesia. Tan-
ta vero exultatione ecclesia illum Gallicana recepit, vt non mino-
rem videretur de suo reditu exhibere, quam de pace reddita latici-
am nunciare. Vnde etiam mirari ipse, saepiusque, causari solebat, quod dum sibi post tam
graues frequentias hominum & tumultus, velut ab exordio valescendum seculo
iudicaret, & tanquam de nouo adorandum sacrae propositum conuersationis, tunc
potissimum vberioribus susciperetur gaudijs, obsequijs coleretur. Rediens autem pa-
ter sanctus ab Vrbe, ex sanctorum Apostolorum martyrumque corporibus xenia se-
cum tulit preciosa, haud modicum hunc sibi reputans fructum esse laboris. Inter quae
beati Casarii dentem quoniam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum
ei praedicti martyris caput Graeci monachi, in quorum basilica repositum est, exhibe-
rent, vt tolleret inde, quod vellet, dari sibi petijt dentem vnum. Frustra vero aliquan-
diu fratres, qui cum eo venerant, laborantes, concessum sibi trahere penitus non va-
lebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus, quos applicuerant, nihilominus dens
immobilis permanebat. Tunc ille: Orandum est nobis, ait. Nec enim habere possu-
mus, nisi martyr ipse concedat. Facta denique oratione, reuerenter accedens, incre-
dibili facilitate duobus digitis, quod ferreis antea moueri non poterat instrumen-
tis, accepit.

Fratres autem Hierosolymitani templi, fidelis militiae professores, cum nouam ha-
bere eo tempore domum in Vrbe coepissent, redeunte praedicto patre speciali que pa-
trono suo, tunicam eius pro eximia benedictione seruabant. Apud quos eodem an-
no sacerdos quidam grauissima febre correptus, desperabiliter agrotabat. Vt autem
omnino deficiens, deuenisse visus est ad extrema, portari sese in oratorium, & praedi-
ctam beati viri superponi sibi tunicam fecit, in sola positus expectatione exitus mor-
tis. Cum subito raptus in quendam mentis excessum, ac veluti carne solutus, videre
sibi visus est corpus suum eodem, quo iacebat, in loco exanime iam circumdatum mul-
titudine sacerdotum, apertos tenentium libros, & celebrantium exequias ex more so-
lennes. Nec mora, in vultu habituque praedicti patris sancti reuerenda quaedam persona
prodiens ex altari, manu illis innuit, vt tacerent, voce pariter prohibens, ne mortuum
reputarent, cuius vitam Claraualensi Abbati donauerat Deus. Confestim denique
ad se rediens, sanum se reperit, & quod viderat, fratribus indicauit. Qui quidem, vt a
fidelibus viris super accepimus, hodieque superstes, & in partibus Aquitaniae degens,
beneficium, quod accepit, sedulo confitetur in eius praconium, cuius merito viuunt.

Petro Leo-
ne mortuo
recepit pa-
cem Ecclesia,

Sacras ab
Vrbe reliq-
uas gratula-
bodus ab-
portat.

Eccē tātus
vir quāci fa-
cit dentem
vni sancti
martyris.

Tunica eius
pro insigni
benedictio-
ne seruatur.

Illā tunica
vix resti-
tuit homi-
nem mortu-
bundum.

Si quis hoc minùs miratur, animaduertat de beato Nicolao ex innumeris, quibus decoratus est, miraculis in natalis eius annua commemoratione tãquàm eximiu comendari, quòd Imperatorem Constantinum ab interitu quorundam, longè constitutus, per visum deflexit. Nec illud dissimile est, quod annectimus.

Abbas Gerardus proximũ Clarauali monasterium, quod Mores dicitur, regens, testatus est nobis, vidisse se eum aliquandò psallentium fratrum circumirè choros, & sicut frequenter agebat, excitare torpentes, ità vt affectuosius & viriliùs psalleretur, quòd reliquum fuit vigiliarum. Cumq; die sequenti apud eum familiariter causaretur, tardiùs illum, quàm oportuerat, ea nocte visitasse psallentes: Ego, ait, nocturnis horis corporeo grauiter occupabar incommodo: sed quod non potuit corpus, spiritus fecit. Expauit ille, audiens non fuisse in corpore, quem tamen diu corporeo spectasset intuitu circumuentem vtrunq; chorum, & dormitantes quosq; vt confucuerat, excitantem, & manum singulis imponentem.

Viso fratri Roberti.

Tempore, quo pater sanctus apud Vrbem morabatur, contigit fratrem quendam Robertum nomine, in Claraualle grauiter infirmari. Huic apparuit iuuenis quidam, similis fratri infirmario, præcipiens vt sequeretur se. Visum est, quòd sequeretur præeuntem, venitq; ad montem excelsum, in quo Dominum inuenit Iesum cum Angelis suis, audiuitq; eum illi ductori suo dicentem: Custodi mihi Iesum. Iamq; milite etiam Dominus in corpore infirmi quædã verba, quæ suæ Clarauali per illum mandauit. Facto ergò manè, refedit, qui moriturus ilicò putabatur, mirantibusq; omnibus, dominum Godefridum, tunc Priorem, nunc Lingonensem Episcopum, vocari fecit. Cui præsentem inter cætera dixit: Mandat vobis Dominus, vt domos amplas faciatis, quæ gentem possint capere, quam ipse multam missurus est vobis: fratribusq; secularibus præbeant: quia vae ei, per quem vnus retrò abiërit. Post dies fermè viginti, cum eadem adhuc valetudine desperabiliter laboraret, admirabilis pater Bernardus corpore absens, sed spiritu præsens, Clarauallem aduenit, languentem visitauit, matutinos hymnos circa eum cum ingenti fratrum multitudine decantauit, noctemq; illam ibidem iuxta illum fecit, & manè factò, idem frater sanus apparuit, modum etiam suæ liberationis fratribus indicauit.

Adest S. Bernardus spiritu fratri moribundo, & sanat eum.

Ad multorum aures famam credimus peruenisse viri venerabilis Guilelmi, qui olim Montis Pessulani dominus, nunc verus Christi pauper & humilis monachus, degit in cœnobio, quòd Grandissylua vocatur. Ipsius enim relatione didicimus, quòd dicturi sumus, sicut ab eius ore, cui contigerat, se accepisse dicebat. In ciuitate Auxitanorum, quæ metropolis est Vasconia, miles quidam infirmabatur. Cuius cum inferiores corporis partes à renibus & deorsum morbus saniens occupasset, erat diebus multis lectò decubans, non modica parte pramortuus. Compunctus deniq; & confusus de misericordia Dei, ad seruũ eius, cuius circumqua; tam celebris sese virtutum fama diffuderat, quocunq; labore se præcipit deportari. Iam per dies aliquot procellerat, profeceratq; non minùs in fide & deuotione, quàm in itinere ipso: cum miseratus hominem Deus, mirabiliter satis & infirmitati eius subuenire dignatus est, & parere fatigationi. Occurrens enim quidam in via, quisham esset, aut quò tenderet, inquisiuit. Acceptaq; itineris eius necessitate: Ego, ait, ex parte illius sancti præcipio tibi, vt reuertaris, sciens quòd vbi domum vèneris, sanus eris. Persuasit illi Deus, vt crederet, cuius nimirum dispositione omnia gerebantur. Rediit, rediensq; paulatim recepit eam, quæ sibi promissa fuerat, misericordiam, vt non prius domum pertingeret, quàm plenaria donum perciperet sospitatis.

Vir nobilis miro modo redit ad sanitatem.

Regina Angliæ in summo picu obientè viru Dei inuocans, mox liberatur.

Anglorum quoquè Regina Mathildis, tantum huic famulo Dei exhibuit aliquandò deuotionis affectum, vt venienti Boloniam, extra vrbem cum populo pedes occurreret, grauida tamen ipsa, multumq; iam grauis. Quæ post dies aliquot, vt parienti tempus aduenit, tam grauiter est afflicta, vt tam ipsa, quàm domus omnis, de vita eius penitus desperarent: iamq; omni reliqua supellectili pauperibus & ecclesijs delegata, vestis etiam regia pararetur, in qua sepeliretur, tanquàm protinus mortura. Tum subito recordata hominis Dei, & nomen illius inuocans plena fide, in ipsa protinùs inuocatione sine periculo partum edidit desperatum. Nec distulit legatum destinare fidelem, per quem gratias ageret celeri subuëtori, ipsum sic natum, non immeritò natum eius appellans. Verùm ille, quoties tale aliquid contigeret audire, non minùs humiliter, quàm iucundè refutans, dicere consueuerat: Hoc certè mihi sic est imputar-

imputandum, sicut ei, qui conscius omnino non fuit.

In monasterio, cui nomen est Belleuallis, prope urbem Chrysolim, homo quidam à dæmone vexabatur, mira eo instigante faciens, mira loquens. Post multas igitur orationes fratrum, cum improbe persisteret illa nequitia spiritalis, recordatus est venerabilis Abbas loci illius Pontius, hodieque superstes, habere se stolam, qua aliquandiu beatus pater vsus fuerat in oblatione hostiæ salutaris. Nec cunctatus, tulit protinus arma potentia Deo, fiducialiterque aggressus est inimicum. Vix limen attingeret cellula, in qua miser homo iacebat, cum subito malignus ille horridis vocibus victum se profitens: En, inquit, egredior, recedo protinus, manere ultra non possum. Respondente autem Abbate, Per nomen Domini, & ipsius beati viri meritum, cuius hæc stola fuit, tibi præcipio, exi citius, nè moreris: continuo dæmon fugatus ab homine, homo liberatus est. Quis alter non periculosè forsitan exultasset, vsq; ad eò sibi spiritus esse subiectos, vt cederent & absenti? Verum ille, Abbate ipso nunciante, nil motus, magisq; subsannans eos, quos videbat magna super hoc admiratione moueri, hæc eadem verba respondit: Quidni facile nos duo præualuissimus in vnum? Leuiter illum eicere potuit Deus, præsertim cum ego, vt dicitis, socius ei datus sim & adiutor. Huiusmodi nempe responsis in huiusmodi rebus sapius vt bebatur. Nouerat siquidem verus & verax, non ostentator, sed æmulator humilitatis, efficacius dissuaderi posse hominibus, quod stupebant, obliqua quadam & artificiosa obiectione, quam aperta excusatione: que humilitatem magis prædicabilem præferendo, estimationem non minueret hominum, sed auget. Vnde quodam loco ex propria loquens experientia: Verus, inquit, humilis, vilis vult reputari, non humilis prædicari.

Pontius Abbas Belleuallis.

Insigne miraculum.

Serm. 16. in Cantica.

CAP. II.

Illud quoque, notissimum fuit, quòd adhuc in carne degens, apparens autem in spiritu, fratri cuidam obitus sui prænuclauerit diem. Infirmabatur nouitius quidam frater in Claraualle, bonæ conuersationis & bonæ indolis adolescens: Nec longè aberat dies, qua post annuam ex more probationem nouum indueret hominem, si non prius hominem exuisset. Siquidem consummatus in breui, expleuit tempora multa placita enim erat Deo anima eius. Quinto igitur die ante vltimū diem suum, visitante se fratre Gerardo, qui hodie Abbas est monasterij Longipontis, idem nouitius exhilaratus plurimum, inter alia spiritalis gratiæ verba: Ecce, inquit, quinta die moriar. Hodie enim pater noster dominus Abbas mihi apparuit cū multitudine monachorum, & blanda consolatione refouens, quinta die moriturum me esse dicebat. Exiit sermo inter fratres, & antequam impleretur, diulgatum est verbum. Expectabatur ab omnibus dies illa, sed multo magis ille beatus in expectatione sua fuit. Iam dies quinta inclinabatur ad vesperam: illius autem spiritus magis eleuabatur ad Deum. Demum circa vndecimam horam in ipso agone mortis positus, obducto prorsus, vt affolet, lumine oculorum, & nemini iam intendens, ad exitum festinabat. Interim visitans eum pater sanctus, velut ab alto somno reuocat, & quasi retrahit commeantem, nec in salutatum abire permittit. Ad cuius vocem aperiens oculos, & mirum in modum facie serenata, aliquandiu intendebat in eum. Mirabamur omnes mortalem hominem, immò iam morientem, eatenus triumphare de morte, vt in ipso mortis articulo exultaret in gaudio, nobis exhibens illud Poëtæ:

Gerardus Abbas Longipontis.

Apparet vir sanctus nouitio, & ei prædicat diem obitus sui.

Incipe parue puer risu cognoscere matrem.

Ecl. 4. Buc. Virgilij.

Tunc verò consolans eum pater beatus, nil timere iubet, sed recto protinus cursu pertingere ad Dominum Iesum Christum, & offerre ei humilem pauperis suæ familiæ salutationem. Ad hanc vocem, qua potuit capitis inclinatione & motu annuens labiorum, iterum clausit oculos, & eadem hora in pace quieuit. Multa quidem huic Dei famulo reuelata per spiritum, multa sine præcedenti reuelatione mirabiliter ab eo prædicta cognouimus, ex quibus exempli gratia pauca subnectimus.

Nouitij felix obitus.

Cum esset aliquandò pater sanctus in vrbe Nouiomensium in domo Episcopi Simonis, adductus est ad eum Herueius de Baugenceio, puer admodum gratiosus, ortus ex regio sanguine, & prædicti Episcopi nepos. De quo sequenti nocte famulo suo Christus ostendit, quod erat post longa tempora futurum. Siquidem videbatur sibi tanquam in Missarum celebratione Angelo cuidam pacis osculū dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de reuelatione, eundem Herueium renunciaturum seculo, & futurum aliquandò deuotum Christi famulum promittebat. Quæ promissio adeò celebris extitit & vulgata, vt ipse quoque Herueius nobis postea fateretur, ad-

Prædicat Herueiū nobilē puerū monachum futurum.

lescen-

Idē Herue-
ius post Gua-
lerannū fit
Abbas.

lescenti sibi ad omnes argumentis conscientiae stimulos semper occurrere, impossibile esse, ut post viri sancti tale promissum in seculari habitu moreretur. Nec fraudatus est à spe sua. Siquidem venerabilis Gualerannus, Vrsicampi cœnobij primus Abbas, ipse susceperat, communicauit Herueio. Cuius talis postmodum apparuit conuersatio, ut tali dignus oraculo videretur. Nam & prædicto Gualeranno in regimine monasterij Vrsicampi ille successit, & nouissimè obitum suum imminens sanus adhuc & incolumis, eodem Gualeranno per reuelationem sibi annunciantem, præcui atq;

Apparēt ei
frater eius
& auunculus.

Apparuerunt aliquandò viro Dei in Trecensium vrbe posito venerabiles eius filij, iam quidem carne soluti, Galdricus & Gerardus: quorum etiam secundum carnem alter germanus, alter auunculus eius extiterat. Cumque velut accelerantes, citius pertransirent, reuocanti & retinere volenti respondebant, eundem sibi pro fratre Gaudfrido monacho, qui eorundem à prima cōuersione socius, strenuè factis in multis cœnobijs extruendis militauerat Deo. Continuo excitatis fratribus pater sanctus accerari iubet, & ad monasterium veniens, ipso die, sicut eis prædixerat, eundem Gaudfridum iam positum reperit in extremis.

Diuinitus
punitur rex
ob eorē-
ptos sacer-
dotes.

Inensus aliquandò Rex Francorum senior Ludouicus quibusdam sui regni Episcopis, suis eos sedibus & ciuitatibus exturbauit. Vnde etiam hic vir reuerendus plures scripsit epistolas, pro eorum pace laborans, quarum hodieque exemplaria perseuerant. Accidit autem, ut præsentem eodem patre sancto, Episcopi multi, indignationem Regis flectere cupientes, tota humilitate prostrati solentis, eius tenerent vestigia, & nec sic gratiam obtinerent. Qua ex re vir Dei religiosa animositate permotus, die altera Regem durius increpans, quòd Domini sacerdotes spreuisset, liberè quoque denūciauit, quod eadem sibi nocte fuerat reuelatum. Hæc, inquit, obstinatio progeniti tui Philippi Regis morte multabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo Ludouico ad pedes Episcoporum, quos heri contempseras, inclinatum, & protinus intellexi, Philippo celeriter facto Idē medio, pro Ludouici substitutione ecclesiam, quam nunc opprimis, te rogaturum. Quod quidem non longè post miserabilis casus impleuit: & decedente Philippo, egit pater, ut is, qui feliciter hodiè regnat, Ludouicus iunior vngeretur.

CAP. III.

Theobaldus
Comes po-
tentissimus
& piissimus
mitè vexa-
tur.

Fidelissimum principem Theobaldum Comitē, in magna tribulatione probatū, non minus mirabiliter, quam misericorditer Dominus liberauit. Is nimirum potentissimus & secundus à Rege, diuersos & immēsos tenens in regno Franciæ principatus, totus tamen eleemosynis deditus, & studio pietatis intentus, omniumque seruatorum Dei, sed specialiter Bernardi Claraualensis, amator deuotissimus erat. Quem catenus impugnari & affligi passus est Deus, ut Rege pariter & vicinis potentibus ferè cunctis coniuratis aduersus eum, vsque ad eò de eius euasione desperaretur, ut publicè quoque iam insultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemosynis derogaretur. Monachi & Conuersi, inutiles eius milites & balistarij dicebantur. Necnon & apud extraneos, sed in ipsis quoque eius ciuitatibus & castellis, eiusmodi iam blasphemiarum personabant. Denique congregatis aliquandò Episcopis pluribus, alijsque personis, præsentem etiam virò Dei, dum super his agerent & colloquerentur, Episcopus quidam, eo tempore atate & opinione prudentiæ celeberrimus, aiebat: In manu Regis est Comes Theobaldus: non est qui possit eum eruere. Respondente alio quodam antistite, Est qui possit liberare eum: multum ille miratus, quisnam crederetur posse, quærebat. Demum audiens, quia potest eum eripere, qui omnia potest, Deus, non parum substomachans: Potest, inquit, si manifestus appareat, si clauam teneat, si hinc inde percutiat: sed hæc ista non fecit. In tanta igitur desperatione, cum prædictum principem vehementer vrgerent extranei, grauius tamen impugnantem, qui ab eo defecerant, omnes ferè homines sui, nec minus eum affligerent pauci, qui restitui videbantur, ex aliorum defectu ipsi quoque suspecti: Lingonensis Episcopus Godfridus frequenter & familiariter Dei hominem consulebat, quidnam sibi Dominus super his reuelaret. Cui ille cum iam sæpius respondisset, nihil sibi apparere, nisi tribulationem super tribulationem: demum aliquandò sciscitanti, ait, quia quinto mense pax erit. Sanè vltima die quinti mensis reformata est pax, ipso quidem & orante, & cooperante, ut non esset ambiguum, eius potissimum studio simul & merito, illum

Predicit vir
Dei quinto
mense eun-
dem comi-
tem liberā-
dum.

illum principem pijsimum, à tam grauibus imminentibusque periculis liberatum.

Post annos aliquot inter eundem Regem Francorum & Gaufridum Comitē Andegauenſium, exercebantur inimicitia graues. Cauſa erat, quòd virum nobilem Gerardum de Monasteriolo, Rege prohibente, in munitiſſimo oppido ſuo Comes obſidens, comprahenderat cum vxore ac liberis & propinquis, ipſamque diruerat munitionem. Tractabat ergò vir ſanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipſum Episcopis & principibus congregatis: cum ſubitò Comes ille, amaritudinis felle còmotus, inſalutatos omnes relinquens, equo inſiliit, & reſceſſit. Conſuſus denique omnibus, iam conuentus in deſperatione pacis ſoluebatur: & prædictus Gerardus accedens ad hominem Dei, licentiam poſtulabat, velut in mortem & carcerem rediturus. Sub obſidibus enim ad colloquium illud erat adductus. Cumque vir Domini conſolaretur eum, grauius ille flens & eiulans: Meam, inquit, minùs doleo ſortem: meos omnes lugeo pariter morituros. Compaſſus itaque vir beatus: Nè timeas, ait: certus eſto, quia Deus tibi tuiſque ſubueniet, idque celerius, quàm valeas vel ſperare. Siquidem recordatus viſionis, quam veniens ad id colloquium viderat, tanquàm lecturum ſe Euangelium, à ſancto Episcopo Malachia petere benedictionem, conſuſus eſt pacem ſine dubio prouenturam. Neceſſum Gerardus ille limen domus attigerat, à facie eius egrediens, cum ſubitò quidam occurrens, redire Comitem nunciauit. Mirati ſunt omnes, tam celerem audientes promiſſionis effectum. Eadem etenim hora Comes redijt, & pariter pax deſiderata prouenit. Erat autem idem Comes pro eodem negotio ex mandato ſummi Pontificis anathematis vinculis innodatus, ſed abſolendus, humiliari, vt debuit, vel culpam ſuper hoc fateri ſuam, penitus reſuſauit: magis autem, vt erat plurimum animoſus, Deum ſibi culpam huiuſmodi nunquàm remittere imprecabatur, innocentem ſe reputans & iniuſtè ligatum. Quamobrè diſceſſit pater ſanctus non parùm triftis ab illo, dicens ei: (ſiquidem literas nouerat) In qua menſura menſus fueris, remetietur tibi. Eadem autem die, cauſantibus ſuper hac improbitate perſonis quibuſdam, & principem illum grauius erraſſe dicentibus, accèſus zelo Dei famulus, aiebat: Grauius ſatis hæc temeritas punietur. Fieri omninò non poteſt, quin hoc eodem anno Comes ipſe aut moriatur, aut euidentem aliam diuinæ indignationis ſentiat vltionem. Hoc verbum & ex ipſis & ex alijs audièrè non pauci. Quod tam celeriter eſt impletum, vt Comes idem infra diem quintumdecimum moreretur.

Prædicte
moſtiſſimo
nobili futu-
ra eius con-
ſolatione.

Marth. 7.

Eccè vltio
diuina in
còtemp-
torem anathe-
matis.

Ingreſſus aliquandò ſeruus Chriſti Germaniæ regnum, feſtinabat ad partes Moguntinorum, pacè reformaturus inter Regem Lotarium & prædeceſſoris eius Henrici Regis nepotes, Conradum ſcilicet, qui Lotario poſteà ſucceſſit in regnum, & Fridericum, patrem huius Friderici, qui poſt Conradum electus, obtinet hodiè principatum. Venerabilis autem Metropolitanus Moguntinorum Albertus, honorabilem clericum quendam, nomine Maſcelinum, viro Dei obuiam miſit. Hic igitur Maſcelinus cum à domino ſuo miſſum ſe eſſe diceret ad ſeruendū ei, pauliſpèr intuitus illum vir Dei: Alius, inquit, Dominus ad ſibi ſeruendū te miſit. Expauit Teutonicus, & miratus quid dicere vellet, firmius aſſerebat à domino ſuo Moguntino ſeſe Archiepiſcopo deſtinatum. Econtrà ſeruus Chriſti: Falleris, ait: maior eſt Dominus, qui miſit te, Chriſtus. Tunc demùm intelligens homo, quorsùm vellet vibrare ſermonem: Putas, inquit, quòd monachus fieri velim? Abſit à me: non cogitavi, nec aſcendit ſuper cor meum. Nihilominùs tamen, renuente illo, Dei famulus affirmabat omnimodis fieri oportere, non quod ipſe de ſe cogitauerat, ſed quod de eo diſpoſuerat Deus. In eodem denique itinere conuerſus ad Dominum, ſeculo valefecit, & cum alijs pluribus literatis honoratiſque perſonis, quos collegit eo tempore ſeruus Chriſti, ipſe quoque, ſicut ſibi prædictum fuerat, ſecutus eſt eum. Henricum quoque, germanum Regis Francorum, qui Beluacenſem hodiè cathedram ornat, non diſſimili Dominus conuerſione mutauit. Accidit enim, vt veniens idem Henricus ad hominem Dei, ſuper quodam ſeculari negotio locuturus, conuentum etiam fratrum viſitans, eorum ſeſe orationibus commendaret. Cui pater ſanctus inter verba ſanctæ exhortationis: Conſido, ait, in Domino, nequaquàm te in eo ſtatu moriturum, in quo nunc poſitus es: ſed velociter experimento proprio probaturum, quantum tibi iſtorum proſit oratio, quam expetiſti. Quod eodem poſtmodum die non abſq; multorum admiratione completum eſt, & de tanti iuuenis conuerſione cœnobium omne exultatione repletum. Lugentibus autem ſocijs, & familia omni, acſi mortuum illum cernerent, eiulante:

Prædicte ni-
hilominùs co-
gitari Cleri-
co, ipſum
monachum
futurum.

Multi lite-
rati & hono-
rati ſunt mo-
nachi.

Henricus fra-
ter Regis ſic
monachus.

eiulante: præ cæteris Andreas quidam Parisiensis Henricum ebrium, Henricum infan-
num vociferabatur, nec conuicijs, nec blasphemijs parcens. Econtra sanè Henricus
pro illius potissimum conuersione, Dei hominem dare operam precabatur. Cui vir
sanctus, audientibus multis: Dimitte, ait, hominem modo: anima enim eius in ama-

Nota grati-
am propheticam
in Ab-
bate Bernar-
do.

ritudine est: nec pro eo multum sollicitus sis, quia tuus est ille. Cum quæ amplius spe-
concepta Henricus instaret, vt loqueretur Andree, seuerius intuitus cum vir Dei, ait:
Quid hoc est? Nunquid non iam dixi tibi, quia tuus est ille? Andreas audiens hæc, (si-
quidem præsens erat & ipse) sicut & plurimum improbus erat, & à sacra conuersio-
ne vehementer abhorrens, talia secum, vt postea confessus est nobis, tacita cogitatio-
ne voluebat: In hoc nunc falsum scio te esse prophetam. Hoc enim certus sum, quia
locutus es verbum, & non fiet. Hoc tibi ego coram Rege & principibus in celebri
quocunque conuentu impropere non parcam, vt tua omnibus falsitas innotes-
cat. Cæterum quàm mirabilis Deus in consilijs super filios hominum, ridens eorum
vana conamina, vt propositum suum, quando & quomodo ipse voluerit, impletur.

Multa mala
imprecatur
monasterio
Andreas
quidam.

Siquidem die altera ibat Andreas, mala omnia imprecans monasterio, vbi dominum
dimittebat, ipsam quoque desiderans vallem funditus subruum cum habitatoribus suis.
Nec parum moti sunt & mirati, qui prædictum viri sancti de ipso audierant verbum,
cùm taliter videretur abire. Sed non diu pusillanimitatem eorum & fidem modicam
tentari passus est Deus. Illa tantum die procedens & repellens quodammodo grati-
am Dei, nocte proxima victus & quasi victus, trahente se & vim faciente spiritu Dei,
diem expectare non potuit: sed exurgens ante diluculum, velociterque ad monaste-
rium rediens, alterum nobis Saulum, vel magis de Saulo Paulum alterum exhibe-
bat.

Fit mona-
chus idem
Andreas.

Multi nobi-
les & literati
Flandri fuerunt
monachi.

Inter cæteros, quos de vana conuersatione seculi per ministerium serui sui Chri-
stus eripuit, de partibus Flandriæ multi aliquando sapientes, multi nobiles & literati
viri, sub ipsius magisterio sacram professi sunt seruitutem. Quorum primus videba-
tur Gaufridus ille de Perona, qui postmodum in Claraualle Prioris officio functus
est, & in eo defunctus. In quibus euidentissimè vidimus euangelicum illud impleri:

Matth. 24.

Multi dicent vobis, Ecce hic est Christus, ecce illic. Plurimis enim persuasionibus
actum est cum eis, vt aliam magis eligere professionem & loca alia debuissent, do-
nec occurrit Dei famulus iam propè dispersis, & in verbis gratiæ, quæ procedebant de
ore eius, pristina omnis hæsitatio facta est de medio, & omnium pariter in ipsius con-
silio irrefragabiliter est firmata voluntas. Quod quidem factum est non sine subita

Vide tenta-
tionem inuidi
satanæ.

penitens quorundam ex ipsis mutatione animorum. Denique cum iam virum Dei ad
monasterium sequeretur prædictus ille Gaufridus, grauissima coepit tentatione pulla-
ri. Intuitus autem illum vnus è fratribus, Quid est, inquit, quod d facies tua extermina-
ta, & tristitiæ quodam nubilo obuoluta videtur? Cui Gaufridus: Scio, inquit, scio,
quod nunquam amplius lætus ero. Quod verbum cum ad famulum Dei idem frater
fatis anxius retulisset, videns ille basilicam prope viam, per quam gradiebatur, dicer-
tit, & ingressus orabat. Cæteris autem de foris præstolantibus, Gaufridus ille grauatus
tædio, super lapidem obdormiuit. Demum cum ambo pariter surrexissent, ille de ora-
tione, iste de somno, apparuit idem Gaufridus tanto iucundior & hilarior cæteris,
quanto tristior prius. Cumque ei prædictus frater verbum mœstitiæ, quod locutus fue-
rat, amicabilem impropere: Etsi tunc, inquit, dixi, Nunquam amplius lætus ero: sed
nunc dico, Nunquam amplius tristis ero.

Mira vis
precum be-
ati viri.

Idem quoque Gaufridus primo tempore tyrocinij sui, pro patre suo viro nobili
& potenti, quem in seculo dereliquerat, filiali pietate sollicitus, Patrem sanctum pro
eius conuersione rogare Dominum affectuosius exorabat. Cui vir Dei: Nè timeas, in-
quit, ego illum probatum monachum manibus meis in hac Claraualle sepeliam.
Vtrunque secutum est: & perfectus monachus factus est, & à patre sancto, sicut præ-
dixerat ipse, in Claraualle sepultus est. Tanquam enim mori illo absente non posset,
quinque mensibus infirmatus, & creberrimum, immò continuum in seipso mortis
responsum habens, sustinuit donec pater sanctus rediret, qui, vt olim promiserat, cum
traderet sepultura.

Eius pphe-
cia de con-
uersione no-
bilis viri.

Regina Franciæ, supradicti Ludouici iunioris vxor, plures cum eo fecerat annos, &
sobolem non habebat. Erat autem vir sanctus apud Regem pro quadam pace laborans,
& Regina in contrarium nitebatur. Cumque eam moneret desistere cœptis, & Regi
suggerere meliora, inter loquendum illa coepit conqueri super sterilitate sua, humili-
ter

rer rogans, vt sibi partum obtineret à Deo. At ille: Si feceris, inquit, quod moneo, ego quoque pro verbo, quod postulas, Dominum exorabo. Annuit illa, & pacis non tardauit effectus. Qua reformata, prædictus Rex (nam verbum ei regina suggererat) à viro Dei promissum humiliter exigebat. Hoc autem tam celeriter est impletum, vt circa idem tempus anno altero eadem Regina pepererit. Dominus Abbas Rainardus Cisterciensis, quem ex Claraualle assumptum, pater sanctus & vt filium amplectebatur, & reuerabatur vt patrem, ob quorūdam monasteriorum ordinationem Prouincie partes intrauit. De quo vir Dei in Claraualle consistens, dum fratri cuidam loqueretur, subita inspiratione permotus: Dominus, ait, Cisterciensis aut mortuus est, aut in proximo moriturus. Nec parum ille frater miratus est, audiens verbum: magis tamen obstupuit, cum eiusdem Abbatis post dies paucos audiret obitum nunciari.

Eodem anno, quo de hac vita pater sanctus fuerat exiturus, tres adolescentes de proximo oppido, quod Barrum dicitur super Albam, monasterium Claraualis gratia conuersionis intrauerant, quorum tertius, suadente maligno, ad vomitū est reuersus. Qua ex re pro duobus alijs magis solliciti fratres, ipsis quoque presentibus, patri sancto super hoc loquebantur. At ille intuens in eos: Hic, inquit, nulla vnquam tentatione laborabit: iste verò multa, sed tamē praualebit. Vtrunq; sicut audiimus, sic vidimus, ad eò vt frequentius alteri obijceremus, cum aliquoties in tēratione penē deficeret, & inciperet iam abire, impossibile esse vt vinceretur, quem vir sanctus dixerat nulla tentatione vincēdum. Pernoctabat aliquandò Dei famulus in oratione, in suo Claraualensi conuobio constitutus, & solita intentione Dominum deprecabatur. Contigit autem eadem hora pauperem quendam, & verē pauperem spiritu, in cella hospitem mori, cuius animam cum vocibus canoris in cælū deferri pater sanctus audiuit: & interrogatis manē fratribus, qui affuerant, illam fuisse horā obitū eius comperit, qua prædictas audierat in sublime tendentium voces.

CAP. IIII.

Cum beatus Episcopus Malachias, cuius vitam virtutibus plenam pater sanctus studiosè descripsit, iuxta desiderium cordis sui in Claraualle beatā cælo animam reddidisset, offerens pro eius transitu venerabilis Abbas hostiam salutarem, gloriam eius, Domino reuelante, cognouit, & eodem inspirante, sacrificio iam expleto, formam mutauit orationis, & collectam intulit, quæ ad sanctorum pontificum celebritates, non ad commendationes pertinet defunctorum, ita dicens: Deus, qui beatum Malachiam pontificem, sanctorum tuorum meritis coæquasti, tribue quasumus, vt qui preciosa mortis eius festa agimus, vitæ quoque imitemur exempla. Deindē reuenter accedens, sacra eius vestigia deuotissimè osculabatur. Modum tamen aut feriem visionis nec cuiquam aperire, nec in eiusdem Episcopi vita scribere acquieuit: hoc tantum respondens, cum plurimum super hoc rogaretur, nimis ad propriam suis ipsius pertinuisse personam. Nec sanè dubiū, plura eum similia occultasse similiter, quæcunque videlicet passus est Dominus occultari. Nam & Virduni aliquandò, quæ est ciuitas Lotaringorum, cum ad tumulum reuerendissimi viri Alberti Episcopi Ostiensis, nouiter antè defuncti, pro commendatione eius sacrificiū laudis offerret, Collectam similiter in fine mutauit: de quo tamen quid vidisset, nec interrogatus est, nec confessus, cum sine certa reuelatione id fecisse minimè videatur.

Super his, quæ ad gratiam pertinent sanitarum, tam multa per hunc famulum suum operatus est Christus, vt in eo quoque videretur exhiberi, quod de ipso Iohannes Euangelista testatur. Si enim omnia scriberentur, ne ipsum quidem mundum capere eos arbitror, qui scribendi fuerant, libros. Cæterum nos saltem pauca de pluribus exempli gratia proferamus. Castrum Villanum accolæ vocant, quod à Claraualle, vt aiunt, sex milliarijs distat: vbi mulier prægnans, tempus omne transierat pariendi, & aliquot mensibus iam decursis, cum necdum pareret, amplius mirabatur. Cuius eousquē dilatus est partus, vt tam sibi, quàm cæteris quibusque vicinis, morbus potius videretur, nec iam crederetur prægnans esse, sed tumens. Quis enim credere possit infantulum anno integro visceribus posse teneri maternis? Desperata igitur mulier, ad monasterium viri Dei ducitur, sic se habens. Siftitur ad portam misera, & portario fratri causā tam miserabilis intimatur. Rogatus ille & inaudito compassus incommodo, supplex adiit patrem sanctum, fideliter ei indicans necessitatem mulieris, fideliter explens negocium susceptæ legationis. Et o mira diuinæ virtutis operatio, mirabilius accelerantis, quod mirabiliter tardabatur. Tanquàm enim

Cccc

hoc

Impetrat
prole regi-
næ Fraciæ.Abbatis Ci-
stertienfis
mors ei di-
uinitus re-
uelatur.Quæ sint
duobus fra-
tribus eue-
tura p̄dicie.Audit voces
Angelicas
ad obitum
cuiusdam.Reuelatur
ei gloria S.
Malachæ
Episcopi.Item S. Al-
berti Epi-
scopi Osti-
ensis.

Iohan. 21.

Facilimè im-
petrat par-
tium despe-
ratæ mulie-
ri.

hoc solum tempore tanto nasciturus expectauerit infans, hora eadem scemina pepe-
rit, & præcurrente remedio, ad portam rediens frater ille, in commodum, quod nun-
ciauerat, non inuenit.

Eccè vim
aquæ bene-
dictæ.

Alio tempore in territorio Antisiodorensi apud oppidum, quod Cona vocatur,
mulier quædam mirabiliter laborans, periclitabatur multis diebus, eò quòd venisset
filius vsque ad partum, & vires non haberet parturiens. Cumq; superuenisset interim
seruus Christi, postulanti benedictionem, aquam benedictam misit. Gustauit mulier,
& confestim natus est puer. Quem venerabilis Episcopus Carnotensis Gaufridus ba-
tizauit, Bernardi ei nomen imponens.

Pœna irri-
dētis mira-
cula viri
Dei.

In eodem itinere & in territorio eodem, dum febricitantium multitudo, sicut vbi-
quæ solebant, à Dei homine panem peteret benedictum, Gerardus quidam clericus
ex castro cui nomen est Clamyteium, malè sciolus & subsannans fidem populi, bla-
sphemabat. In ipsis autem verbis blasphemix grauissima febre correptus, vsque Anti-
siodorum abeuntem sequi coactus est virum Dei, & pœnitentiam agens apud eum,
ipsam, cui detraxerat, multis obtinuit precibus benedictionem. Tam multis verò gu-
stata eiusmodi benedictio reddidit sanitatem, vt solius Dei, cuius hæc virtute fie-
bant, possent notitia compræhendi. Vidimus in Meldensi territorio militem devo-
tissimas referentem gratias viro Dei, quòd ad primum gustum panis ab eo benedicti,
plenam receperit sospitatem à febre quartana: qua sic grauiter laborauerat mensi-
bus fermè decem & octo, vt in hora accessionis quasi phreneticus, nec matrè agno-
sceret suam.

Nota mira-
culi bene-
dicti panis.

Virum quoque venerabilem, Gerardum Lemonicensem Episcopum testantem
audiuimus, iuuenem quendam de familia sua lethaler in capite faucium, cum iacé-
ret spumās & impos mentis, immissa sibi in os buccella panis, quem benedixerat ho-
mo Dei, tam celerem sensisse virtutem, vt in columis surgeret ipsa hora. Neq; illud ta-
cendum, quòd ipsam quoque substātiā panis ab omni corruptionis iniuria eadem
benedictio vendicabat, adeò vt plures viderimus, qui per septennium & vitrà eodē
seruauerant panes, nec colore nec sapore mutato. Ante hos paucos dies venerabiles
Abbatē Gerardus & Henricus de Suediæ partibus venientes, dum super his confer-
remus, testati sunt nobis, panem ante vndecim annos eius benedictione signatum,
manere adhuc apud se penitus incorruptum. Nec dissimilem apud aliquos nostrum
vsq; hodiè nouimus, & apud alios multos credimus esse repositum. Et nuncidoneum
fatis & euidentis testimonium huius rei proferamus.

Item aliud.

Efficacia be-
nedictionis
viri Dei.

Vir magnus & magnificè honorandus Danorum Archiepiscopus Eskillus patrem
sanctum vnico venerabatur affectu, vnica deuotione colebat. Nec contentus est in
filijs eum videre, cum nouum cœnobium extruxisset, & impetrasset ab eo desidera-
tum sacre congregationis examen. Præualuit apud eum desiderium vehemens, vt
homo tantę authoritatis, & in insulis illis tam ecclesiastica quàm seculari authoritate
singulariter potens, expositis suis omnibus, etiam semetipsum periculis multis trade-
ret & labori. Nam de expensis dicere non est magnum, quanuis eundem audierimus
protestantem, quòd expenderit in itinere ipso argenti marcas amplius quàm sex cen-
tas. Venit igitur Clarauallē persona humilis & sublimis, quam à finibus terræ non
curiositas audiendæ sapientiæ, sed fidei zelus & plenitudo deuotionis attraxit. Vbi
quantum fleuerit, qualem sese non modò erga eum, quem tam vnice diligebat, sed
etiam erga minimos quoslibet fratrum exhibuerit, non est facile dictu. Demum redi-
turus ad propria, vt benedictum à Dei famulo panem referre posset, & diutius cōser-
uare, humano sensu præcepit, vt in clibano recoquatur, sicut solent, qui maria transe-
unt, panem referre bis coctum. Audiens autem sanctus, non est passus errare homi-
nem tam deuotum: sed amicabiliter arguens, in hac parte fidem eius modicam inue-
niri: Itaque, inquit, non poterit benedictio ipsum panem magis, quàm recoctio, con-
seruare? Et non acquieuit benedicere illum: sed communem sibi panem præcipiens
exhiberi, benedixit & dixit: Eccè hunc tolle tecum, nihil deinceps de corruptione so-
licitus. Tulit, & ad suos per multa quidem prosperè rediens, vsq; hodiè gloriatur fidei
sux defectum euidentissima rei veritate cōuinci. Nec enim passus est patris sancti non
visitare sepulcrū, nec minùs nunc erga eum afficitur, nec minùs, quàm olim in viuente,
confidit, nimirum quem verius viuere non ambigit. Confessus est etiam nobis de
pane, quē retulit, quòd nunc usque, cum iam tertius annus transierit, illa sum ei beati
viri fides & benedictio custodiuit.

Eskillus Ar-
chiepiscopus
Lundenfis
venit in Cla-
rauallē.

Nō vult pa-
nē benedi-
cere bis co-
ctū, sed cō-
munem sibi
exhiberi iu-
bet.

Narrauerunt etiam nobis idem reuerendus Antistes, & qui cum eodem Archiepiscopo venerat viri religiosi, miraculum dignum memoria, nuper factum in coenobio, quod, ut supra meminimus, in terra sua ipse fundauit. Erat enim, inquit Archiepiscopus, in eadem regione nostra adolescens nobilis, meus quoque secundum carnem propinquus, sed ob multa sua flagitia minus charus. Corruptus autem aegritudine, vix impetrauit visitationem meam, & per manum meam ad praedictum sese contulit monasterium, ubi & cum maxima cordis contritione renunciando seculo, per dies aliquot in humili & fidelissima confessione persistens, magis ac magis eadem aegritudine laborabat. Qua demum inualecente, exitum sibi imminere cognoscens, Abbatis & fratrum praesentiam miro amplectebatur affectu, mira eos deuotione monebat, ut spiritualia arma arripere, egressuram proinde animam sibi commendatam efficaciter protecluri, & exhibituri fideliter necessarium prorsus inter imminentium hostium crudelissima tela conductum. Cumque in huiusmodi supplicatione diuinis iam sacramentis munitus, & de eorundem seruorum Dei patrocinio & Domini misericordiae piissima deuotione praesumens, ac proinde circumstantibus omnibus multam suae salutis relinquens fiduciam, exspirasset, offerebant fratres pro commendatione animae eius, quam deuotissime poterant, Domini corporis salutarem hostiam. Tum subito inimicus humanae salutis, ex eiusdem, sicut indubitabile videtur esse, liberatione animae, quam ex multis diebus irreparabiliter sese occupasse credebat, iram magnam concipiens, eandem, permittente Deo, crudeliter nimis exercens, vnum e fratribus repentino furore peruasit. Clamabat igitur horrendis vocibus miserabilis homo, & vix multorum manibus tenebatur. Demum cum maximo labore absportatus, & in lectulo religatus, tam sua quam adstantium membra dentibus appetens, dirissime vexabatur. Nec illa, quam prius nosset, lingua, sed noua quadam, quam nec adstantium quisquam nouerat, loquebatur. Et cum nihil, quod diceret, intelligerent, tam liberè tamen & sine offendiculo non inconcinne eum audiebant edere voces, ut indubitanter crederent, quod lingua aliqua loqueretur. Post aliquantas igitur horas, cum vehementer confusi fratres, quid agere possent, anxie cogitarent & studiosè conquirerent, vnus ex eis salubre consilium, Domino inspirante, concipiens, sacra pignora, à seipso nuper ibidem commendata, videlicet de capillis & barba & dentem vnum domini mei sancti Bernardi afferri monet, & eius pectori superponi. Quod ut factum est, Germanica lingua per os illius cepit horrendis vocibus nequam spiritus exclamare: Tollite, tollite, amouete Bernardum. Et dicebat: Heu Bernarde, quam onerosus, quam grauis, quam intolerabilis factus es mihi. Cum haec & similia aliquandiu clamitans loqueretur, factum est breue silentium: & subito frater idem, Domino miserante, purgatus, aperuit oculos, ac velut de somno euigilans, circumstantes fratres & sua plurimum vincula mirabatur, verè eundem fati, quidnam sibi vellent haec, vel quid accidisset, interrogans. Ex ea igitur hora pristinam sanitatem mentis & corporis per beati patris merita sancta recepit, nil penitus, quod in illo tam graui casu fecerit, aut locutus fuerit, recordatus. Haec quidem à nobis de testimonio viri reuerendissimi Eskilli Danorum Archiepiscopi, ex occasione panis, à Dei homine benedicti, non sine quadam anticipatione sunt dicta: de cetero iam ex ordine reliqua prosequamur. Non modò autem hominibus, sed pecoribus etiam & armentis tam frequenter eius benedictio profuit, ut monasterij sui cellerarium durè aliquandò increparet, quod sibi non indicans, mori animalia permisisset, vnde fuerant Christi pauperes sustentandi. Dehinc, ut solitus erat, benedixit sal, & animalibus iussit apponi: & protinus lues orta cessauit. Quod in alijs quoque monasterijs vidimus & cognouimus, ut audiens fratrum animalia mori, interdum etiam non rogatus, sed ipse prior admonens eos, eodem remedio subueniret.

Eccè quantum valeat p̄ defunctis Domini corporis oblata hostia.

Eccè quomodo torquetur diabolus exiguus reliquijs S. Bernardi.

Salis ab eo benedicti virtus.

Claudum sanat.

Item phreneticam.

Gaudium dicitur locus quidam Casiacensium monachorum, ubi vir sanctus cum aliquandò pernoctaret, exhibitum sibi iuuenem claudum oratione & benedictione sanauit, ita ut post dies paucissimos per eundem locum redeunti incolumis & deuotus adfaret. In eisdem partibus in vico, cui nomen Algorrium est, mulierem phreneticam populus obtulit transeunti. Cui manus imponens & orans, sanam dimisit, & abiit. Hanc in eodem loco vidimus postea viro Dei cum gratiarum actionibus occurrentem. In remotis etiam regionibus, quocumque eum Ecclesiae sanctae necessitas traxit, virtus est profecuta signorum. Apud Viride Folium (sic enim dicitur castrum territorij Tolofani, quod, ut superiori libro meminimus, aliquandò pater sanctus intro-

ens, multis ibidem virtutibus claruit) puer mancus & claudus ex vtero matris suae, ad cuiusdam memoriam martyris, vtriusque pedis & alterius manus receperat sanitatem. Huius alteram manum adhuc inuvalidam, tanquam diuinitus sibi seruata, pater sanctus benedicendo sanauit, ut sanctorum innotesceret particeps esse virtutis. Carurcium dicitur ciuitas Aquitaniae, per quam viro Dei ipso tempore transitus fuit. Ibi praeter alia beneficia, quae praestitit infirmantibus multis, vnus de pueris Episcopi ciuitatis ipsius, qui ex vulnere graui, alterius oculi lumen amiserat, sub manu eius visum recepit.

In pago quoque Engolismensi, loco cui nomen est Castellare, post oblationem hostiae salutaris, adstantibus venerabilibus Episcopis, Lamberto Engolismensi & Gerardo Lemouicensi, puerum ex matris vtero claudum & mancum, cuius in modum pilae cubiti cum genibus umbilico, pedes autem natibus adhaerebant, Dei famulo offerebat. At ille singula membra, edito prius signo Crucis, atrectans, mira facilitate extendit protinus, & sanauit. Apprehendens denique manum eius, erexit illum, & dimisit libere gradientem. Populus autem pro tantis nimirum virtutibus, magnis vocibus Dominum collaudabat. Nam & die sequenti in pago Lemouicensi, in vico, quem sancti Germani nomine vocant, signa per eum plurima claruerunt. Vndique enim confluerebant, qui incommodis varijs laborabant, & virtus erat Domini ad sanandum eos. Vbi inter ceteros puer ferme decennis, caecus ex vtero matris suae, coram omni populo oblatus est viro Dei. Qui in digitos suos expuens, & liniens oculos eius, breuem fecit orationem, & in nomine Christi aperuit oculos caeci nati.

Regnum quoque Germaniae cum introisset aliquando vir beatus, tam excellenter enituit in gratia sanitati, ut nec verbis exprimi, nec credi valeat, si dicatur. Nam & restati sunt, qui adfuerunt, in territorio Constantiensi circa vicum, quem Donignem nominant, ex his, quae diligentius inuestigauerunt & viderunt oculis suis, vna die illuminatos ad eius impositionem manus caecos vnde decem, sanatos etiam mancos decem, & claudos decem & octo. Ceterum ne fecisse nos inopes copia videatur, ex innumera multitudine saltem pauca memoriae commendamus, maxime quae in locis celeberrimis facta noscuntur. Cum venisset Constantiam homo Dei, & vndique se virtutum eius fama diffunderet, Abbas Augiensis, quod intra lacum Lemannum antiquum extat & nobile monasterium, caecum hominem, quem suis elemosynis sustentabat, misit ad eum, & confestim videtem illum recepit. Heitereseim dicitur locus, ad cuius diocesim pertinens ciuitatis, sed plurimum a ciuitate remotus. Ibi quoque, sicut & ceteris illius provinciae, per quae transijt, locis, multis in seruo suo mira culis glorificatus est Deus, vbi etiam caecus natus, sub manu eius visum recepit. Item alteri a nativitate surdo & muto, auditus redditus est & loquela. In ciuitate etiam Basilea, cum ex more sermonem habuisset ad populum, ut impleretur in eo, quod de sanctis Apostolis legitur, qui videlicet profecti, praedicauerunt vbi que, Domino cooperante, & sermone confirmante sequentibus signis: oblata est ei foemina muta, & orante eo, locuta est: oblatus est ei claudus, & ambulauit: oblatus est caecus, & vidit. Apud Spirensium ciuitatem, praesente Romanorum Rege Conrado, qui Dei hominem ab Ecclesia ad hospitium deuotissime deducebat, offerebant puerum claudum, rogantes, ut ei manum imponere dignaretur. Quem signatum protinus erigens, super pedes statuit, & libere gradiebat, in Dei laudem acclamantibus vniuersis.

Item in Capella Episcopi ciuitatis ipsius, Rege ipso videte, visum reddidit caecae cuiusdam mulieri, & claudum nato gressum donauit. Multa quidem & alia in manu eius ibidem Christus effecit, sed ad exemplum pauca sufficiant. Nonnullos enim pauperculos, etiam pueros, Rex ipse deuotus suis illi manibus offerens, de multorum curatione meruit gratulari. Necnon apud praedictam Spirensium urbem, sed & apud Franckenfurt, Moguntinae diocesim locum, innumeris virtutibus idem Dei seruus effulsit. De tota siquidem regione quotquot patiebantur, afferebant ad eum: & tantus erat concursus, ut praedictus Rex, cum aliquando populum comprimenter coercere non posset, deposita chlamyde, virum sanctum in proprias vlnas suscipiens, de basilica abspertant. Inter plurimos sane, qui ibidem adepti sunt sanitatem, senex quidam paralyticus de vicinia illa, homo notus & honoratus, multis suorum precibus & non sine multo labore introductus est ad hominem Dei. A quo post breuissimam, ut solebat, orationem erectus protinus, non modò incolumis, sed & fortis apparuit: ut posses credere, si videres, non tam alteratum hominem esse, quam alterum. Iamque eo viriliter procedente, parabant

Item cuiusdam pueri manum inuvalidam.

Oculum restituit.

Celeriter curat miserem contractum puerum.

*Geniani

Item caecum natum.

*Donigni

Vno die sanant homines 39.

Venit Constantiam.

Alium caecum illuminat.

Item alium surdum & mutum curat.

Mar. 16.

Item alios debiles.

Venit Spiram.

Item claudum.

Venit Franconfurtum, & innumeris clare miraculis.

parabant alij tollere lectum eius, in quo subuectus erat, cum renocans eum vnus ex circumstantibus, Hugo Tullensis ecclesie Archidiaconus, Euangelici illius memor paralytici, Non sic, ait, no sic vacuus reuertaris: tolle grabatum tuum, & ambula. Et imponens in humeros eius, dimisit eum liberè procedentem. Sed & omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo. Ibidem etiam surdus puer & mutus ex vtero matris suae, subleuatus per scalam, & in fenestra accedens ad virum Dei, sub manu eius auditum recepit pariter & loquelam. Sed & quaedam paralytica mulier de regione eadem, diues & honorata, ibidem recepit amissam ex multo tempore sospitatem. Dumq; exiliens ambularet, omnes quidem latati sunt, qui videbant: sed praeter ceteris exultauere milites, qui attulerat & obtulerant eam. Nam & ipsius sibi particeps esse virtutis religiosa deuotio videbatur. Per idem tempus transeunte sancto viro prope vicum, in litore Rheni positum, quem Bobardum vocant, & varios per vniuersam prouinciam curante languores, oblati sunt paralytici in grabato. Audita siquidem fama virtutum à praedicto viro, in occursum eius se fecerat apportari. Cui in medio populi manus imponens, exiit hominem, in columenque remisit ad propria.

Iohann. 5.

Curatur surdus & mutus. Sanatur paralytica.

Item paralyticus.

Eodem anno ingredienti urbem Treuirensium Christi seruo, ex more obuiam ruit populus vniuersus. Offerunt autem ei forores duas, quae ab annis quatuor lumē amiserant oculorum. Quarum ille vtrique imponens signum Crucis, visum reddidit lucis: & videntes virum Dei, cum ceteris sequebantur. In eiusdem basilica ciuitatis, cum ad altare beati Petri vir Apostolicae gratiae immortalem hostiam immolasset, oblati sunt ei claudus, & ambulauit: oblati sunt etiam cecus, & vidit: oblata est surda mulier, & audiuit. Haec in somnis admonita se esse dicebat, vt Dei hominem peteret, cuius beneficio receptura esset auditum. Apud Confluentiam, Treuirensis diocesis nobile castrum, Mosellam fluiuium, qui ibidem in Rhenum labitur, Dei famulus pertransibat. Cumq; paululum processisset, oblatum sibi & signatum hominem claudum, deponi iussit & ambulare: sed non fuit, qui obediret. Nec mora: claudus idem retractum prius femoris neruum clamat sponte laxari, & dum nescit, exteditur velut ab altero genu suum: quod, quanlibet ante conatus, nullo modo potuisset. Mirantur omnes: probatur sub omni velocitate, quod dicitur: deponitur ilico, ilico graditur, ilico sanus & in columnis innorefcit.

Treuirenses honorifice eum excipiunt.

Claudus eius iussu ambulat.

Non est nobis Colonia transeunda. Magna est ciuitas: magna illic Dei famulo virtus adfuit: magna illum deuotio coluit populorum. Ostenditur vsq; hodie in claustrum beati Petri, sicut à personis veridicis nuper accepimus, adolefcens olim claudus, nunc liberè gradiens: qui oblati viro Dei, ad impositionem manus eius, gressum recepit. Unde etiam filius eius publicè cognominatur. Abbas Henricus de Suedia, cuius supra fecimus mentionē, nuper retulit nobis, foeminā nobilem, germani sui olim uxorem, cum post obitū viri sui praedolore phrenesim incurrisset, & multo tempore sic se habēs, in vinculis teneretur, eidem patri sancto in ciuitate praefata oblatā, & vix tenuiter turba circumstrepente signatam, dum ex more ligata reuehitur, mentem pristinam atq; integram recepisse salutem. In eadem etiam ciuitate filiam surdam eidem patri sancto parentes nobiles obtulerunt. Hanc aiebant à pueritia traditam sanctimonialium monasterio foeminarum, ibidem prorsus amisse auditum, & annos plurimos in eodem incommodo peregrisse. Cuius aures, signo Crucis edito, pater sanctus atreclans, protinus & auditum ei, & parentibus reddidit audientem. Accedens inter haec mulier honorata, Colonienfis itidem ciuis, quae alterius oculi lumen amiserat, plurima iam per quinquennium inutiliter sese in medicos expēdisse dicebat. Et ipsam quoq; continuo per signum Crucis illuminans vir beatus, quod gratis acceperat, gratis dedit. Sed & matronam alterā, in beati Petri basilica oblatā in lectulo, idem Christi seruus erexit protinus, & in columen suis pedibus abire praecipit. Huius ex multo iam tempore nerui femorum fuerant sic retrācti, vt nec erigi vllatenus posset, nec cōsistere pedibus suis. Nam ex personis alijs perhibebāt, qui studiosius obseruauerunt, ad eiusdem sancti viri orationem & manus impositionem in ciuitate praedicta infra triduum, quod ibi fecit, duodecim claudos erectos, mancos duos sanatos, & quinque caecos illuminatos, loquelam reddidit mutis tribus, & decem surdis auditum.

Venit Colonia, & cum multa deuotione excipitur. Sanat ibi claudum.

Item phreneticam.

Et surdam puellam.

Item caecā.

Et contractam.

Atque alios multos.

Venit Aquigranum.

Aquigrani sede regia, dum in illa famosissima toto Romanorum Orbe Capella vir beatus Missarum solēnia celebraret, claudum homini gressum, & caecis quatuor visum sub manu eiusdem serui sui Rex regum summus, & vnicus Dominus dominantium reparauit, & potentē virtute restituit. Eodem etiam tempore intra Leodiensium fines,

Multi debiles Aquisgrani & Ledoij curantur.

præter innumera alia, quæ breuitatis studio præterimus, iuxta oppidum, quod Fontanas vocant, orante eo, aperuit Dominus oculos cæci nati. Huius non modò oculi cæci, sed ipsæ etiã palpebræ clausæ & emortuæ erant. Quas sacratissimis digitis suis aperiens vir beatus, diuino munere & vigorem palpebris, & pupillis præstitit claritatem. Confestim deniquè idem puer lucem miratus ignotã, maxima cum exultatione clamabat: Video diem, video homines, video capillatos: plaudens quoquè manibus & tripudians: Deus, inquit, ex hoc iam non offendam ad lapides pedes meos.

Cameraci curat fordũ & mutum.

In vrbe etiam Cameraco celebranti Missarum solennia viro Dei, surdũ & mutum à natiuitate puerum offerebant. Quem audientem & loquentem qui propius aderã, supra gradum ligneum statuere, vt de loco eminentiori nouo sermone populum salutarer. Nec mirum, quòd mira plebis deuotio, mira protinùs vociferatio sit secuta.

Claret sanctitatis eius nomen in Hispanijs.

Et hæc quidem super his, quæ in regno Germaniæ in manu serui sui mirabiliter operatus est Deus, è pluribus pauca sufficiant. Nam & in Hispanijs, vbi præsens ipse nõ fuit, sanctitatis eius indicia claruerunt. Cùm enim fidelis seruus & prudens, preciosum Crucis Dominicæ fructum vndiquè colligeret, iterumquè propagaret vbiquè: contigit vt de filiis suis in Hispanias mitteret, in illis quoquè, sicut & in cæteris gentibus, aliquem habere fructum desiderans. De quorum numero Albertus quidam faber in loco, cui nomen Superadam, grauissima valetudine occupatus, per multum iam tempus iacebat paralyticus in grabato. Interim per Abbatẽ suum in commodum suum nunciat patri sancto, & vt sibi miseretur, exorat. Eadem autem die, qua vir beatus in Claraualle pro eodem paralytico ad petitionem sui illius Abbatis orauit, currente velociter verbo virtutis, & virtute orationis, ille in Hispanijs repente conualuit, tanquàm vas plenum aqua suo sentiens capiti superfundi. Regressus liquidẽ Abbas, cùm prædictum fratrem incolumem reperisset, diligenter sciscitatus ab eo & modum & tempus suæ liberationis, certissimè comperit, orante in Gallijs Dei famulo, illum in Hispanijs esse curatum.

Precib' abfentẽ restituit paralyticum.

Et quia semel ad Hispanias vertimus stylum, illud quod contigit de viro reuerendissimo Petro Asturiensũ Episcopo, prosequamur. Is quidẽ Petrus nobilis genere, monachus professione, pietate deuotus, in cœnobio quodam, quod eo tempore ipse regebat, tam vehementi dolore capitis laborabat, vt nulla die regulam obseruare ieiunij, nulla hora sine pellicijs posset aut pileis stare. Sic miserabilis homo aliquandũ vilitabat, vel magis diũ moriebatur. Audiens autem celeberrimam virtutum famam, quæ per Dei hominem efficiebantur, per quendam fratrem legationẽ mittit suæ supplicationis, & opem flagitat eius intercessionis. Cui vir sanctus sancũ, quo ipse utebatur, pileum misit, & promisit ægro capiti de Domini virtute remedium. Suscepit ille missam sibi benedictionem maxima cum reuerentia & deuotione. Confitens enim quàm sollicitè potuit delicta sua, & stola sese induens sacerdotali, itã demum velut Christi simbriam tangens, serui Christi pileum sumpsit, & imposuit capiti suo. Nec tardauit fidei fructus, & benedictionis effectus: sed miratus & ipse est, celerem protinùs sentiens medicinam: & extunc vsq; hodiè ab eiusmodi languore sanus & incolumis, annunciat omnibus, quam experiri meruit ipse, virtutem. Nam & Episcopus factus, xenia illa diuisit, partem mediam suis secum in scrinijs honorificè tissimè ferens, mediam in monasterio sub eadem veneratione deponens, nec locum scilicet, vndè vocatus: nec sedem, cui prælatus est, volens tanta benedictione fraudari.

Pileo suo facta accerimos capitis dolores.

Ex hoc nobis ad ea quoquè, quæ mirabiliter egit in regione propria, redeundum. Nam in eo fortè etiam plus, quàm propheta, dici posse videtur, quòd propheticus ei non defuerit honor in patria sua Henricus quidam, vir magnus & potens in domo & familia Ducis Bauarorum, ex multo iam tempore, misero penitus & miserabili quodam incommodo desperabiliter laborabat. Siquidem tanquàm viuum aliquid & mortabile intrã præcordia sentiens, & ex magna parte phreneticus, nec cõsolari poterat, aut securus esse: nec quid timeret aut pateretur, agnoscere, nisi quòd demonium esse suspicabatur. Talis ad Dei hominem de Bauaria Clarauallẽ vsque perductus, eius oratione perfectam meruit sospitatẽ. Cui etiam formam vitæ & mandata, quæ deinceps obseruaret, idem sanctus imponens, incolumem remisit ad propria. Nam & vsque in presentem diem, sicut certa relatione didicimus, tam obediens perseuerat, vt nõ modò suis contentus sit stipendijs, sed operibus etiam pietatis intentus: itã vt mirabilior eius morum conuersio, quàm curatio, videatur. Mussæium dicitur villa super Sequanam fluuium, paucis à Claraualle milliaribus distans. Ex hac virum hydropicum ad Dei

Meditur cuiusdam magni viri grauissimo incommodo.

Dei hominem adduxerunt. Cui manus imponens & orans, proprio quoque cingulo suo tumentem enormiter vterum eius accinxit, præcipiens, vt incolumitate recepta, pristinum sibi cingulū reportaret. Nec tardauit sanitas, sed paulatim tumor abscessit. Denique circa vicesimū diem gracilis incolumisque reuersus, cingulum simul & gratias multas suo retulit curatori. Exeunti aliquandō alio tempore monasterij claustra, senem paralyticū ex proximo viculo, qui Mundiulla dicitur, obtulerunt. Subsistens autem modicē, & breuiter orans, tetigit hominem, & incolumem suis pedibus abire præcepit. Quo abeunte, populus multus, qui in occursum viri Dei confluxerat, non sine lachrymis Dominum collaudabat. Itē redeunti aliquandō de via, pro foribus monasterij oblatuſ est ei surdus & mutus. Expuens igitur, tetigit linguam eius, & digitos immisit in aures eius. Protinūs autem aurium eius obstacula facta sunt de medio, & solutum est vinculum oris eius. Maliuilla dicitur vicus, tribus circiter milliaribus à monasterio distans. Hunc quandoque pertransiens vir beatus, mancam puellam tetigit & curauit, quam nūc vsq; superstitem & incolumem esse nup̄ percepimus. Per idem tempus in finibus illis apud castrum, quod nominant Burdemontem, duo milites de beati patris virtutibus conferebant: sed minūs credulus alter, Si hunc, inquit, puerum sanauerit, ex tunc firmiūs credam. Dicebat autem surdum quendam & mutum, qui apud eos nutritus, nec locutus fuisset aliquandō, nec audisset. Post dies paucos, transeunte propiūs patre sancto, ambo pariter puerum tollunt & offerunt ei. Imposita igitur manu puero, & signās os illius & aures, allocutus est eum, & loquentem protinūs audientemque dimisit. Apud Rishelmmum oppidum regionis eiusdem, vsque modō cernere est adolescentem, Simonem nomine, satis notum, qui præfato Dei famulo oblatuſ est, & sub manu eius gressum recepit. Eodem etiā tempore prope viculum, cui nomē est Malenuilla, puella manca ad eius tactum sanata est: & vt nobis testati sunt, qui viderunt & nouerunt, etiam hæc incolumis vsque hodiē perseuerat.

Barrum super Albam dicitur oppidum, tribus, vt aiunt, leucis distans à monasterio Claraualis. Ibī quoque sæpiūs per hunc hominem Dei, diuinæ virtutis opera claruerunt. Siquidē præter ea, quæ minūs diligenter curauimus inuestigare, eō quod omnis nostra curiositas signorum multitudine vinceretur, quatuor illic claudos, ad ipsius orationem & manus impositionem, diuersis temporibus Christus erexit, cæcos duos illuminauit, duobus æquē surdis & mutis auditum præstitit & loquelam. Sed iuxta alterum Barrum super Sequanam, ad eius tactum illuminatus est cæcus, conualuit etiam paralyticus, gressum recepit puer claudus ex vtero matris suæ.

Cum reuerendissimus Papa noster Eugenius tertius ex monacho Claraualensi, & Abbate sancti Anastasij in vrbe Romana, ad Apostolicam assumptus cathedram, Gallias intrasset, ibat cum eo vir sanctus: nec minūs Apostolica virtus in illo, quàm dignitas in illo præminebat. Tantis enim ad beatum virum erat concursus incommodis varijs laborantium, vt cum aliquandō summus Pōtifex basilicam, vbi ille Missarum solēnnia celebrabat, deuotus intrasset, expleto sacrificio, & ex more accedentibus eis, qui curam desiderabant, paulominūs idem Papa comprimeretur à turbis, & vix potuerit per ministrorum manus educi. E plurimis sanē, quæ in eiusdem Apostolici viri facta sunt comitatu, duo scribimus, quæ nos obliuisci ipsa, quam vidimus, magnitudo latitiæ non permittit. Chaleta dicitur vicus, inter Prouignum castrum & Sequanam fluiuium constitutus, vbi puer fermē decennis ab anno priore paralyticus sic iacebat, vt nec ipsam caput flesteret, nisi ab altero moueretur. Quem afferentes in culcitra mater eius ceterique propinqui, offerebant viro sancto, prope eundem locum per stratam publicam transeunti. At ille sanatum erigens, statuit supra pedes suos, & ire præcepit. Nec mora: exiit puer, & ambulabat, magnificans Deum. Qui tandiū sanctum prosecutus est abeuntem, donēc ille, inuitum licēt & renitentem, redire præcepit. Vbi non immeritō quidem magna admodum facta est admiratio, magna exultatio omnium, qui videbant: sed præ ceteris frater iunior in ipsius, tanquàm rediuiui, oscula ruens, multos eorum ad lachrymas vsque permouit. Hunc quidem puerū & post annos quatuor in eodem vico vidimus, quem beato viro mater offerens, sacros monebat osculari pedes: Hic est, inquit, pater tuus, qui tibi vitam reddidit, & te mihi. Eodem anno apud Cistertium iuxta morem Abbatibus congregatis, prædictus Papa venerabilis adfuit, non tam Apostolica autoritate præfidens, quam fraterna charitate residens inter eos, quasi vnus ex eis. Vbi cum ad cellulam, in qua iacebat, facto vespere & conuentu soluto, Dei famulus diuertisset, sur-

Hydropici curatio.

Itē paralytici.

Itē surdi & muti.

Manca puella fit incolumis.

Itē surdus & mutus puer.

Itē claudus & puella manca.

Multi ægri & hoc loco curantur.

Vide mirabilem morbidorū concursum ad virum Dei.

Puer decennis paralyticus sanatur.

Eugenij Pontificis insignis modestia.

dum ei puerum obtulerunt. Erat autem puer ille de vicinia eadem, & sicut postea dicimus, ex longo antè tempore vigilans in custodia gregis sui, subito terrore percussus, amiserat prorsus auditum. Orans itaq; pater sanctus, & puero manus imponens, vtrum audiat, sciscitatur. At ille mira deuotione proclamans, Audio, domine, audio: tam firmiter amplexatus est eum, vt vix ab eo possèt auelli. Auditum est verbum, oblatum est puer summo Pontifici alijsque personis, celeberrimumque hoc miraculum fuit.

Surdus puer
audit.

Matrona
qugdam clau-
da erigitur.

Venerat pater sanctus ad monasterium in diocesi Bisuntina, cui nomen est Charus Locus, & erant cum eo ex Abbatibus sui Ordinis multi. Vbi matrona quaedam de finibus illis, ex multo tempore iam clauda, in carro allata, oblata est ei. Orans verò breuiter, & signans eam in nomine Domini, erexit & sanauit, vt eadem hora incolumis remearet ad propria. Eodem tempore in monasterio Morimundo, quæ est Cisterciensis Ordinis Abbatia vna de primis, monachus quidam iacebat vsque ad eò paralyti dissolutus, vt reliquis omnibus membris officio proprio destitutus, in solo vigere videretur capite sensus, in solo deinceps pectore vitalis spiritus palpitare. Non manum mouere, non pedem: tantum loqui poterat, & videfe. Inter ea superueniens vir beatus, paralyticum visitat, manum postulatus imponit, & continuo opem sentit ægrotus. Vt tamen gratius esset miraculum, velut gradatim per aliquot dies ad singulas eius visitationes magis ac magis conualescens, iam mouebat manus, prius alteram manum, postea alteram, recuperans: iam pedibus consistebat, iam paulatim gradiebatur, donec fratrum collegio redderetur incolumis. Sicque exinde profecturus Abbas sanctus, palliolo suo operuit postulantem, & sub eo in breui obtinuit etiam reliqui corporis sospitatem.

Monachus
paralyticus
sanatur.

In monasterio Albæripæ monachus quidam adolescens vsu vocis amiserat, vt nec psallere inter fratres, nec à quoquam, nisi multum proximo sibi, intelligi possèt, quid loqueretur. Cui vir sanctus, dum idem monasterium visiteret, aquam frigidam benedicens, potum dedit, & continuo frigidus ex pectore eius sudor erupit. Denique ipsa die ab eodem incommodo liberatus, psallere cœpit quasi vnus de cæteris fratribus: & hoc illi beneficium vsque hodiè perseuerat.

Restituit
vocem ado-
lescenti.

Nōrunt multi deuotum iuuenem, qui Lugdunensis olim ecclesiæ filius, modo monachus Cisterciensis, patri sui sancti Hugonis Episcopi Gratianopolitani, cuius & nomen meruit, mores imitatur. Huius conuersione vir sanctus audira, gauisus est, quia patruo eius singulari fuerat charitate deuinctus, & cōsolatorias illi literas misit. Contigit autem, vt eodem tempore idem iuuenis febre correptus, grauiter laboraret. Susceptam igitur debita veneratione epistolam, fidei deuotione collo suo ob remedium salutis appendit, & vsque modo gratulatur perfectam se protinus obtinisse sospitatem. Cùm venisset aliquando pater sanctus ad monasterium Trium Fontium, oblatum est ei clericus quidam ex his, qui Regulares nominantur, homo grandæuus & cæcus. Imposuit ei manum, & breuem ex more fecit orationem, & eadem hora videntem illum remisit ad ecclesiam suam.

Epistola ei
collo appē-
sa, pellit fe-
brem.

Cæcus vi-
det.

In Trecentium vrbe multa per hunc Dei famulum miracula clāruerunt. Equibus duo, quæ presentibus Episcopis, Godefrido Lingonensi & Henrico Trecenti facta sunt, memoramus. Puellam curuam in prædicti Trecenti Episcopi domo, propinqua & notum cum multis ei precibus offerebant. Tantus verò concursus erat, vt eam signatam Dei famulus, acsi molle lutum inter sacras manus mirabiliter formans erexisset, & erectam incedere præcepisset, locus non potuerit inueniri. Demum supra mensam magnam, quæ propè posita erat, statuerunt illam, & erecta liberè gradiebatur, magnificè Dominum collaudantibus vniuersis. Hanc quoque adhuc superstitem ab his, qui eam nouère, nupèr audiuimus. In eadem vrbe filiam mutam patri sancto obtulit mater, cui morbus epilepsiæ loquendi ademerat facultatem. Nec mora: seruo Christi imponente ei manum, solutum est vinculum oris eius, & loquebatur rectè. In eiusdem vrbe diocesi loco, cui nomen Domnamant, cùm vir sanctus Mislarum solennia celebrasset, cæcum illi filium obtulit pater. Expuens autem in digitos suos, & palpebras eius liniens, eadem hora videntem illum reddidit patri suo. Nec longè ab eodem vico apud oppidum Argilleras, post Mislarum similiter celebrationem, feminam claudam, quæ in præbenda Odonis, eiusdem castri domini, mendica vivebat, cùm basilicam egrederetur, signans & sanans, populum multum, qui vndique fuerat congregatus, admiratione & exultatione repleuit.

Puella cur-
ua erigitur.

Mutæ vox
reformatur.

Cæco lumē
redditur.

Clauda am-
bular.

In exitu quoque oppidi, quod Rosnauum vocant, paralyticum hominem sic extenuatum corpore, ut solam circumferre pallidæ mortis imaginem videretur, impositum plaustrum transeunti offerunt viro Dei. Is quoque, ubi signatus est, deponi & incidere iussus, plaustrum suum pedibus incolumis sequebatur, vehementer stupentibus & in Dei laudem acclamantibus vniuersis. Alio tempore proximum castrum Brenam transiens, obuium habuit populum multum, sicut ubique semper & vndique in ipsius occursum confluere innumera multitudo. ubi, cernentibus cunctis, foemina claudam ex eodem oppido tetigit & erexit: quam & ibidem postea vidimus occurrentem cum cæteris, & præ cæteris gratias referentem. In pago Senonico apud castrum, quod Triangulum vocant, intra Missarum sacra solennia, foemina, cuius ibidem per annos decem cæcitas omnibus innotuerat, sub manu viri Dei, mirantibus omnibus, visum recepit.

Item paralyticus.

Clauda itidem.

Cæca videt.

Apud Monasterium quoque, ubi Iona & Sequana confluunt, presente piissimo principe Comite Theobaldo, cuius supra fecimus mentionem, alijsque adstantibus non paucis potentibus viris, offerenti diuina sacrificia viro Dei, paralyticam foemina obtulerunt. Quam, expletis solennijs, tangens & erigens, ipsa hora sanam remisit ad propria: ita ut suis pedibus illa abeunte, grabatum, in quo fuerat apportata, in eadem basilica vacuum remansisse viderimus. Eiusdem quoque Diocesis castrum Iouiniacum transeunti eidem famulo Christi, in strata publica foemina cæcam offerebat. Substitit, & breuiter orans, eidem foeminae manus imposuit, & Dominus aperuit oculos eius. Ut autem videre visa est, exultatio magna secuta est omnium, qui aderant: & clamantes alter ad alterum, Anna videt, Anna videt, (Hoc enim eidem foeminae nomen erat) copiosius confluere. Interea vir sanctus accelerans, declinabat turbas, & egrediebatur, cum iuuenis quidam, altero oculo cæcus ab utero matris suæ, secutus & consecutus est eum. Qui quidem continuo & ipse ad eius benedictionem visum recepit, & geminata est læticia populi prosequentis.

Paralytica sanatur.

Item cæca.

Et cæcus.

Antisiodorum aliquando veniens vir beatus, orationis causa monachorum basilicam introiit, ubi Confessor Domini gloriosus Germanus Episcopus requiescit. Cui post orationem regredienti mulier clauda, genibus repens & manibus, ut sui miseretur, supplicabat. At ille signo Crucis edito, apprehendit manum eius, & erexit eam: extensamque dimisit incolumem, & Deo gratias reddituram, ad prædicti confessoris memoriam misit, suis pedibus gradientem.

Clauda erigitur.

Chableia nomen est vico, qui eidem proximus ciuitati, insignem beati Martini basilicam habet. Nam & fundus ipse ad possessionem spectat Ecclesie Turonensis, ubi corpus iacet eiusdem gloriosissimi Confessoris. Hunc verò vicum Dei famulo transeunti, claudum adolescentem populus offerebat. Quem ad eius orationem erectum protinus & liberè gradientem, ad prædictam beati Martini basilicam deduxerunt, magnificè Dominum collaudantes, qui Martini sui spiritum suscitauerat in Bernardo.

Item claudus.

CAP. V.

Nonnullas etiam sanitates, quas per manus fidelis serui sui mirabiliter Christus effecit, per visum ei mirabilius præostendit: multas ipse, cum fierent, animi virtute perfecit: ad aliquas etiam, spiritu suggerente, non rogatus accessit. E quibus nunc videatur in immensum processisse narratio, exempla pauca subiicimus: illud etiam eregionem monentes, nunc quis fortè tam breuiter scribi opera tanta miretur. Siquidem multa ex his in tam breui fieri vidimus, ut tam celeriter ea proloqui nequeamus: & cum dici soleat, nil esse facilius dictu: huic tamen Dei famulo per gratiam, quam acceperat, signa facere magis facile videbatur, quam nobis facta narrare.

Quantam signorum gratiam ei Dominus contulerit.

Egredienti aliquando patre sancto monasterium, homo quidam de finibus illis occurrens, sanandum filium offerebat. Nam intra monasterium quidem infirmis imponere manum, difficiliter acquiescebat, nunc videlicet, si concursus hominum illic fieret, quies cœnobij turbaretur, & disciplina periret. Erat autem prædictus puer ille fatuus & mētis inops, claudus quoque, & surdus, & mutus. Qui eadem hora per ipsius orationem & manus impositionem ab omni simul incommodo liberatus, audiebat, & loquebatur, & sanæ mentis effectus, à priore penitus inquietudine & furore cessabat. Cumque eundem iam incolumem filium pater deuotus ad oratorium beate Dei genitricis cum gratiarum actione deduceret, loquebantur mutuo fratres, de tam multiplici vnus incommodo pueri conquirentes. Ad quos pater sanctus:

Spiritu præ-
nidet quæ-
dam sua mi-
racula.

Aus: Flagellum, inquit, Dei erat, & maligni spiritus dira vexatio. Vidi enim nocte præterita hoc eodem in loco (erat enim iuxta fluvium Albam, ubi sanatus est puer) hic, inquam, vidi oblatum puerum talem, exeunte ab eo spiritu nequam, omnem recipere protinus sospitatem vsuque membrorum. Addidit etiam vir beatus, de eadē scilicet visione: Cumque paululum processissem in eodem itinere, quo nunc pergimus, iuxta proximum vicum (dicebat autem de eo, quem nominant Longum campum) offerebatur mihi foemina clauda, & Dominus ei gressus reddebat. Audiērunt & mirati sunt fratres, futuri magis attoniti expectatione miraculi, quam recordatione præteriti. Quid enim vnquam simile mundus audiuit? Ventum est ad locum, inuenta ubi protinus mulier clauda, expectans Dei hominem transiturum, & simul transeuntibus iuxta verbum, quod prædixerat, expectata. Oblata igitur ab eis, qui attulerant eam, & sicut prædictum fuerat, signata ab homine Dei, ex Dei munere gressum recepit, & ibat gratias agens.

Mulier clau-
da recipit
gressum.

Anno altero causa exitit, ut vir sanctus Lingonas peteret, inter Episcopum & Clerum ciuitatis illius orta graui admodum simultate. Vbi cum prima die inefficaciter laborasset, & manē factō, abire pararet, dicebat fratribus: Quia vidi per visum noctis, introeunti mihi ecclesiam offerri claudā foeminam, & sanari. Post vnam ferē horam, cum iterum Clerici conuenissent, præter spem omnium reformata pace, multis precibus coegerunt illum beati Mammetis martyris intrare basilicam, & quia fames inualuerat, populum ad eleemosynam exhortari. Vbi inter loquendum, sicut prædixerat, oblata est ei clauda mulier & erecta, mirantibus quidem omnibus, sed eis amplius, qui sicut videbant factum, ita se recordabantur audisse futurum.

Item alia.

In pago Treuirensi antiquum extat cœnobium, quod Rutinense vocatur: ubi celebrante aliquandō Missarum solennia viro Dei, innumerabilis aderat multitudo. Interea Guntranus de Sura, quod est oppidum eidem proximum monasterio, claudam illuc fecit foeminam afferri. Hæc ex multo iam tempore repens humi, penitus erigi non valebat: sed scabellula tenens manibus, pedes emortuos post se trahere consuevit. Cum autem præ multitudinem populi ad Dei hominem introduci foemina non valeret, in basilica media repente conualuit: & exiliens ambulabat, non sine lachrymis gratias agens Deo. Cuius scabellula populus iubilans tulit protinus ad altare, ut sisteret ea Domino & Bernardo seruo eius. De cuius nobis curatione confessus est pater sanctus, quod præcedenti nocte sibi præostensa fuisset. Videbatur enim sibi in eadē basilica in medio populi circumstantis clandestinus & ignotus eiusmodi foeminā tangere & transire, ac penitus eam videre sanatam, plurimum sibi ipse congratulans & exultans, quod agnitus non fuisset. Eadem etiam die rutilauit Rutina in beati viri præsentia lux cælestis, cuius benedictio alijs quoque claudis duabus foeminis gressum, visum reddidit cæcis æque duobus. Sapissimè verò contigit, ut inter orandum indubitanter Dei seruus agnosceret virtutem adesse diuinam. Cuius tamen modum cognitionis se posse nullis verbis exprimere fatebatur. Nonnūquam verò, cum signasset aliquos & transisset, sanatos esse dixit: & regressus aliquis ex ex his, qui audierant, sicut dictum erat, inuenit.

Item alia
restituuntur
gressus.

Duo cæci vi-
dent, & due
claudæ am-
bulant.

Egressus aliquandō Basileam urbem, surdum quendam signauerat & transferat. Cumque paululum processisset, vocans Alexandrum Coloniensem: Reuertere, ait: quare, vtrum audiat homo. Redijt, & illum reperit audientem. Similiter ipso die, cum signasset alium cæcum altero oculo, & abiret: Deus, inquit, aperuit oculum eius. Hoc etiam prædictus Alexander cum ad inquirendum reflexisset iter, ita esse cognouit. Iste est Alexander, qui in eisdem diebus ad viri Dei sacra monita ostensionemque virtutum, inter alios & cum alijs ferme triginta, seculo valefecit, & secutus est eum. A quo etiam deinde post modicum tempus promotus, Abbas vsque hodiè est ordinatus in monasterio Tolosanae diœcesis, quod Grandisylua vocatur, cuius supra fecimus mentionē. In Constantiensi quoque diœcesi prope castrum Frieburg, cum homini cæco in via manum imposuisset, remisit qui videret eum: & inuentus est videns.

Surdus au-
dit.

Cæco ocu-
lus restitui-
tur.

Item tribus
alijs.

Quod duobus alijs cæcis in pago Colonienfi prope monasterium, quod Bruuiler dicitur, similiter fecit: & cum videre nunciarentur, confessus est se quoque sensit se virtutem. Vtriusque rei, tam illorum illuminationis, quam ipsius confessionis, vsque hodiè testis est Abbas de Campo, quod est cœnobium non ignotum parochiæ Colonienfis & Ordinis Cisterciensis. In territorio etiam Senonensi, in oppido, quod

quod sancti Florentini nomine vocant, oblata est viro Dei mulier surda. Cui manus imponens, per spiritum sensit virtutis effectum, cum illa adhuc stupida & tumultuosa, ut est genus illud, & ut antè solebat, nihil se audire clamaret. Manè autem factò, cum nec illa rediret, nec alter aliquid indicaret de ea, sciens sanctus diuinam misericordiam adfuisse, accersiri foeminam iubet. Inuenta igitur auditum recepisse, venit glorificans Deum, & Dei famulo gratias agens.

Egre diebatur idem pater Metensium ciuitatem, & ex more deuotus eum populus deducebat cum eorum Episcopo Stephano, & fratre eius Reinaldo Barrèsi Comite, alijsque personis tam ex clericali quam ex militari ordine multis. Interim causa extitit, ut rogaret nobilem virum Henricum de Salmis super verbo quodam, quod ipse ei Episcopus & alij, qui conuenerant, suggerebant: ut videlicet Metensi ciuitati & populo pacem daret, cui grauius inimicabatur. Ille verò renuere penitus cepit & abire, nec vllis precibus flecti. Inter hæc superuenientes alij, offerebant beato viro hominem surdum, obsecrantes, ut ei manum imponere dignaretur. At ille fidei zelo succensus, sicut interdum ob causas necessarias terror quidam & autoritas supra hominem in eius facie rutilabat, conuersus ad militem: Tu nos, inquit, audire contemnis, quos continuo coram te audiet surdus. Et imponens manum homini, signauit eum, & in aures eius digitos misit. Quo protinus audiente, pauens Henricus & tremens, ruit ad pedes hominis Dei, humiliter satisfaciens, & liberè annuens, quicquid fuerat postulatus.

Transiens aliquandò seruus Christi Brenam oppidum, mendicantem in platea vidit foeminam caecam. Quam aliquantisper intuitus, cum ex more à transeuntibus elemosynam flagitaret: Tu, inquit, petis argentum, & Deus tibi donabit visum. Accedens ergò, tetigit eam, & oculos eius aperuit. Quæ beneficium sentiens in speratum, non minus misericordiae magnitudinem, quam lucem insolitam mirabatur. Inter primas propagines, quas abundantissima vitis emisit, in Rhemorum parochia monasterium Igniacense plantatum, feliciter radicaui. Quod aliquandò visitans idem sanctus, vicum Matrônæ fluuio proximum, quem Rioulium nominant, pertransibat. Vir quoque magnificus & deuotissimus eius amator Samson Rhemorum Archiepiscopus comitabatur illum, solita veneratione deducens. Senex autem claudus, ad mendicandum postus erat in via, cui vnus ex fratribus elemosynam dedit. Securus Abbas sanctus, cum iam hominem pertransisset, conuertit se, & paulisper intendens in eum, quid patiat, interrogat circumstantes, & sibi illum præcipit exhiberi. Suspicati homines, quòd esset ei amplius aliquid ipse daturus, Domine, inquit, claudus est, nec moueri potest: nos ad eum feremus, quod volueris dare. Quo repetente verbum, & dicente, Tollite eum, & afferte ad me, primò quidem præ admiratione mutuo sese intuebantur, ignorantibus quid esset factururus. Demùm agnoscentes eum, clamabant adinuicem: Abbas est Claraualis, & protinus illum sanabit. Nimirum solitus erat, quoties poterat, operam dare, nè in vicis agnosceretur, & interdicere socijs, nè cui ex occurrentibus manifestarent eum, aut de eo aliquid loquerentur: sed quærentibus quis transiret, dicerent monachos esse, aut aliquem de personis simul euntibus nominarent. Igitur agnito Dei famulo, ruunt vndique: & leuantes hominem, ferunt & offerunt ei: Qui imponens vtranque manum capiti eius, & in cælum suspiciens, ac breuiter orans, deponi illum iubet & ambulare. Excusante illo, & dicente, Non possum: Ego tibi, ait, in nomine Domini & eius virtute præcipio, Vade, sanus esto iam ab hac hora. Quid plura? Statim depositus, statim sanatus est, statim liberè gradiebatur, repletus stupore & ecstasi in eo, quod contigerat sibi. Sed & vicini eius & noti pariter congratulantes, Dominum collaudabant, qui miserabilis hominis & meritum simul & votum, abundantia suæ pietatis excessit. Vnde etiam vsque hodiè locus ab incolis demonstratur, vbi signum tam euidentis diuinæ virtutis effulsit, vbi senex claudus ex multis annis, tota inferioris corporis sui parte præmortuus, & à renibus deorsum omni prorsus membrorum destitutus officio, dum stipem postulauit, sanitatem recepit, oranti seruo fideli, & omnipotente Domino operante. Hic fuit viri sanctissimi nouissimus in Rhemorum partes ingressus: siquidem factum est hoc ante sacram eius depositionem corporis anno vno: de qua felicium eius actuum felicissima consummatione erit nobis iam, sed sub alia narratione, dicendum. Nimis enim fallitur, si quis arbitratur huius sanctissimi viri facta mirifica posse cuncta narrari: & tam necesse est multa sileri, quam impossibile omnia comprehendere.

Surdæ redit
auditus.

Nobilem
quendam
miraculo
cogit paci
studere.

Caecam il-
luminat.

Samson Rhe-
mori Ep-
scopus.

Eccè ut se-
cupit cæla-
rum.

Claudus re-
pentè fit sa-
nus.



VM post tantos & tam multos iam labores ac sudores Dominus dilecto suo Bernardo Clarauallesi Abbati, diu desideratum preciosa mortis somnum dare disponderet, & fidelem seruum in requiem introducere suam: coepit magis ac magis promptus in * ipsum proficere spiritus, & caro infirma deficere. Cognoscens enim vir sanctus propè esse iam brauium, solito currebat alacrius, & terrestri sua habitationis dissolutionem sentiens imminere,

Ezech. 1.

Corpore la-
guente, spi-
ritus robu-
stus fortiter
diuina ex-
erret.

votis vberioribus adspirabat ad habitationem ex Deo, domum non manufactam, æternam in cælis. In cuius purissimo pectore sacri sese desiderij flamma non capiens, crebris erumpebat indicijs, & ignitum eloquium vehementer feruoris interni vehementiam declarabat: sicut in sanctis animalibus per prophetam inter cætera describuntur & scintillæ, quasi adspæctus æris candentis. Corpus lectulo decubans, varijs exercebatur incommodis: animus tamen nihilominus liber & potens, quæ Deo erant, exercebat inuictus, non cessans in medijs quoque doloribus meditari sacrum aliquid, aut dicere, & orare affectuosius, fratres studiosius exhortari. In oblatione hostiæ salutari, quam vsque ad defectum vltimum vix aliquandò intermisit, artus sibi vix coherentes vigore spiritus sustentabat, semetipsum pariter offerens acceptabilem hostiam Deo in odorem suauitatis. Quo tempore ad auunculum suum Andream militem templi, qui & ipse regionis Hierosolymitanæ columna maxima habebatur, Epistolam scribens, inter cætera ait: Ego enim delibor, nec puto me longum facere super terram. In illis diebus causa extitit, vt fratrum aliquis in remoras Germaniæ partes pro quibusdam mitteretur agendis. Et missus est frater Henricus monachus, quem ante sex annos de Constantiensis diocesis partibus cum pluribus alijs idem pater sanctus adduxerat. Hic ergò dum mitteretur, longioris itineris pericula timens, (nimirum hyems erat) illud tamè maximè verebatur, ne contingeret, vt idem pater sanctus, priusquam ipse rediret, ab hac vita migraret, & absens ipse benedictionis extremæ participio fraudaretur. At ille benedicens ei, & dicens, Ne timeas: & incolumis reuertèris, & me quoque, sicut desideras, inuenies, consolatum illum emisit. Profectus idem frater, in territorio Argentinensium adstrictum glacie fluumium pertransibat. Tum subito fracta glacie sub pedibus muli, quo vehabatur, corruit, & sub glaciem vehemèns illum vnda trahebat. Quid faceretmersus flumine, glacie clausus? Recordatus est patris sui, recordatus est promissionis eius, quæ inanis esse non potuit. Continuo siquidem, vt hodiè quoque fateur, patrem sanctum sibi vix esse habere præsentem: tantaque suauitate persusus est, vt nec impetum amnis, nec molestiam frigoris, nec spirandi difficultatem, nec vllum denique incommodum sentiret aut metum. Nec mora: contra fluminis impetum sine suo conatu diuina virtute reductus, ad ipsum, per quod antè ceciderat, foramen se reperit, marginem arripit, exit intrepidus, illæsus euadit, expleto negotio redit incolumis, & fideli promissione, sicut ipse promissit, inuenta, multiplices gratias agit, ad sacrum cuius tumulum tam deuotus hodièq; persistit, quàm certus est eius sese meritis, velut de tumulo, & quidem satis horribili, reuocatum. Sed non est nobis super hoc declamandum. Alij antiqua miracula conferant: nec minùs hunc mirabiliter, quàm beati Benedicti puerum Placidum, nec minori afferent à periculo liberatum: qui etiam, si viderent, quem adstrictus glacie reddidit fluius, ei compararent, quem euomuit cetus: nobis sufficit breuis & pura narratio.

Nota rem
memorabi-
lem de ab-
sente viro
beato.

Iona 1.

Interea dum adhuc pater sanctus in suo Clarauallesi cœnobio, licet lectulo decubans, cursum vitæ viriliter consummaret, grauis admodum plaga Metensi populo superuenit. Egressi enim in multitudine graui aduersus vicinos principes, à quibus præter morem lacessitam se esse tanta ciuitas indignabatur, traditi sunt multi in manus paucissimorum. Conclusi denique inter Frigidi Montis (sic enim eum appellant) & Mosellæ amnis angustias, ac mutuo sese impetu collidètes, vna hora, sicut dicebatur, plus quàm duo millia corruerunt, quidam gladijs trucidati, plures amne submersi. Vehementi ergò indignatione concepta, nobilis illa ciuitas totis ad vltionem viribus parabatur, cum eregionè aduersarios quoque & fortiores præda copiosa, & audaciores fecisset euentus. Imminebat totius prouinciæ certa vastatio, cum venerabilis

corum

eorum metropolitanus * Hillius Archiepiscopus Treuirensis, dignam gerens suorum sollicitudinem filiorum, vnicum in tanta necessitate petijt refugium, & expetijt virum Dei Bernardum. Veniens ergo Clarauallem, ipsius atque omnium fratrum vestigijs tota humilitate prostratus, rogabat & obsecrabat, vt se tantis dignaretur opponere malis, quibus alter nemo modum posse ponere videretur. Dominus autem, sicut semper fidelis serui sui direxerat vias, & in præcipuis quibusque causis aptissimo vsu fuerat instrumento, ex paucis antè diebus egritudinem corporis eius aliquatenus releuauit. Quibus diebus cum ad literas venerabilis Hugonis Ostiensis Episcopi rescriberet, ait: Verum est, quod audistis. Infirmatus sum vsque ad mortem: sed interim, vt sentio, ad mortem reuocatus, atque hoc, vt me sentio, non diu. Vitam quippè mortalem, mortem magis, quàm vitam reputans, non à morte, sed ad mortem reuocatum se sentiebat, cum ab exitu reuocaretur, licet præsentens non diutius differendum. Et hoc quidem sæpius erga eum prouidentia diuina disposuit, in cuius manu placita erat anima illius, vt quoties eum grandis aliqua necessitas euocaret, vincenti omnia animo vires corporis non deessent, mirantibus, qui videbant, eum & robustos homines in tolerantia superare. Expletis nanque negocijs, velut in se rediens, multiplicibus infirmitatibus laborabat, vt vix viueret feriat, qui occupatus deficere nesciebat. Cui in opere nouissimo tam manifestè tamque magnificè diuina adfuit virtus, vt ex laboribus vires capere videretur. Accidit autem, cum in prædicti Mosellæ fluuij litore residentibus hinc inde partibus, fidelis mediator rogaret, quæ ad pacem erant, vt pars altera nimis agrè ferret, quod exigebatur: ex tanta siquidem hostium strage ferocior, & humiliari, vt erat necessè, non sustinens: subito denique, tanquàm agitati furijs, discesserunt, virum Dei insalutatum, solam verò cæteris omnibus relinquentes desperationem pacis. Nec sanè ex contemptu aliquo, sed ex metu reuerentiæ eius inière fugam. Siquidem verebantur, nè præsentium qualibet improbas mentes facillè flecteret, minus considerantes, quid ille per spiritum nusquam absentem, posset etiam in absentes.

Iam conuentus in magno turbine soluebatur, sola vtrinque meditantur arma, sola inibant consilia malignandi: cum vir sanctus eos, qui secum venerant, consolatus fratres, nè turbemini, inquit: licet enim per multas difficultates, omninò tamen pax desiderata proueniet. Quibus etiam, vnde id nõset, innotuit, dicens: Videbar mihi per nocturnum soporem Missam celebrare solennem. Cumque expleta paulominus oratione prima, recorderer Angelicum ex more canticum, id est, Gloria in excelsis Deo, præcedere debuissè, erubui, & quod oblitus omiseram, Canticum inchoans, vobiscum pariter ad finem vsque compleui. Iam medium noctis transierat, cum vir sanctus de prædictorum pœnitidine principum legatione suscepta, iucundè satis conuersus ad nos: Agnoscite, ait, promissæ vobis canenda gloria & cantici pacis præparationem. Interim ergo partibus conuocatis, per dies aliquot de pace tractatum est, & ob maximas difficultates occurrentes vtrinque, sæpius desperatum, nisi quòd omnes iam consolabatur, quæ omnibus innotuerat, Abbatis sancti tam certa de reformanda pace promissio. Nec parùm ipsa dilatio profuit, ijs præsertim, qui varijs incommodis laborantes, remedia consequerentur in carne, seu etiam qui videntes edificabantur in fide. Tantus enim concursus erat, vt multitudine pariter atque importunitate sua ipsum quoque negocium reformandæ pacis penè desperabiliter impedirent, donèc quæsitæ tandem in medio flumine insula, partis vtriusque primarij in nauiculis accesserunt. Vbi compositis omnibus, secundum quod fidelis arbiter diffiniuit, datis sibi inuicem dextris, reconciliati & confœderati sunt in osculo pacis.

Inter omnes sanè, quas per manū serui sui ibidem præstitit Dominus, sanitates, celeberrima fuit cuiusdam mulieris curatio. Hæc ab annis octo pessima egritudine laborabat, vehementi tremore & validis motibus vniuersa pariter membra concutiens. Cum autem vidèretur, grauioribus ortis difficultatibus, propemodum excidisse spes pacis, Domino disponente, venit mulier ita tremens, nec minùs horribilis, quàm miserabilis, & omnes pariter ad spectaculum conuenerunt. Orante denique Dei famulo, sub oculis omnium paulatim concussione sedata, perfectam adeptæ est protinus sospitatem. Quæ res in tantam admirationem etiam durissimos quosque permouit, vt perceptientes pectora sua, per horam ferè dimidiam cum lachrymis acclamarent. Tantus denique factus est impetus & concursus procidentium & deosculantium viri Dei sacra vestigia, vt propemodum comprimeretur, donèc tollentes

D d d cum

Illius

Vide Archiepis-
copi exi-
miã humi-
litate.Mortalem
vitam vir
Dei morte
nuncupat.Vifio sancti
viri.Eccè quan-
tùm vir Dei
laborauerit
in compo-
nenda pace
inter discor-
des.Insigni mi-
raculo mul-
torum com-
punguntur
animi, &
pax deplo-
rata refor-
matur.

eum fratres, & imponentes in nauiculam, à terra modicè subdixerunt. Cumque abcedentes ad se principes, vt coeperat, pro pace rogaret, suspirantes dixerunt: Oportet nos libenter eam audire, quem, vt ipsi cernimus, Deus diligit & exaudit: & audito eo multa facere, pro quo tanta facit Deus in oculis nostris. Quibus ille, vt semper cautus erat competenter huiusmodi gloriam declinare, Non propter me, inquit, sed propter vos facit.

Similiquoque miraculo, & in simili opportunitate, ipsa etiam die Metensium animos Dominus inclinavit ad pacem. Ingressus enim sanctus Metensium ciuitatem, Episcopum simul populumque ad ea, quae pacis erant, vehementer vrgebat. Grauius autem vrgebat eos valnus acceptum, quibus enim validè satis rependere cogitauerant, secus, quam vellent, remittere coegebantur. In ipsa hora oblata est ei mulier paralytica in ciuitate eadem. Cui manus imponens, & orans, dignatus est palliolum quoque proprium, quo vrgebatur ipse, super eam extendere, tenendum Episcopo tradere adstanti, & sub eodem velamine debilia tangere membra. Expleta autem oratione, & benedictione data, erexit illam: omnibusque mirantibus, per medium illorum incolumis ibat, quam attulerant in grabato. In flumine quoque praedicto Mofella dum ob intolerabilem concurrentium multitudinem vir Dei nauicula veheretur, vnus ex his, qui curam desiderabant, cecus clamabat in litore, obsecrans vt duceretur ad eum. Cumque ille iam pertransiret, audiens homo nauigantem post eum haud procul à litore piscatorem, distibulatam protinus chlamydè, qua erat opertus, porrigens illi, rogat vt in nauiculam reciperetur. Factum est: & vt peruénit ad sanctum, iuxta fidei suae magnitudinem, magna velocitate sub manu eius visu recepto, miratus clamabat se videre colles, videre homines, videre arbores & caetera vniuersa.

Paucis ab eodem loco milliaribus distat coenobium, quod sancti Benedicti nomine vocant: vbi puer claudus & à renibus infra, omni prorsus membrorum destitutus officio, solis ad mouendum manibus vrgebatur & renibus, pedes emortuos simul cum tibijs post se trahens. Quem ex Burgundiae partibus pater aduectum, ante annos quatuor ibi reliquerat, & extunc fratrum eleemosynis alebatur. Itaque cum beati viri sanctitatem & virtutes, quas Dominus operabatur in ipso, per omnem provinciam celebris fama vulgaret, impositum plaustrum eundem puerum, praedicti coenobij fratres adduxerunt ad eum, rogantes, vt solita pietate misero subueniret. Acque uenit, imposuit manus, orauit, & eadem hora sanum reddidit, liberè stantem, liberè gradientem. Denique sicut ab eiusdem loci Abbate nupè accepimus, vsque hodie fratrum pecora idem puer incolumis sequitur & custodit: & si quis scire desiderat, Iohannes est nomen eius.

Alter etiam claudus, in eiusdem monasterij vicinia degens, eodem tempore ad praedicti patris sancti benedictionem sanatus est, & gressum recepit. Sed & prope Leucorum urbem loco, cui nomen est Gunderuilla, idem vir Dei foeminam caecam illuminauit sub oculis plurimorum, qui de tota confluerant regione. Caterum nimis difficile, aut omnimodis impossibile foret, itineris illius magnalia vniuersa complecti: sed neque propositi nostri est, eiusmodi modò prosequi signa, & narrandis virtutum operibus operam dare. Hic enim viarum tuarum, pater dulcissime, finis beatus, & hic labor vltimus fuit.

In hoc opere non minùs vtili, quam difficili, nec minùs desperatae, quam necessariae pacis labores tuos gloriosè compleuit, qui magnificè semper honestauit te in laboribus tuis, & te in suo nomine, & nomen suum in te glorificant, Rex gloriae Dominus Deus tuus.

CAP. II.

VT expleta Metensium reconciliatione, & prouinciae illi pace reddita, pater sanctus ad monasterium redijt, graui admodum iamiamque deficientis languore corporis occupatus, in tanta tamen suauitate & dulcedine spiritus quotidie propinquabar ad exitum, ac si in portu nauigans, paulatim vela deponeret. Euidenter quoque fratribus aiebat: Haec sunt verba, quae loquebar ad vos, cum praeterita hyeme aegrotarem, non vobis esse, quod adhuc timeretis: aestate proxima imminere mihi credite huius corporis dissolutionem. At quam euidenter proprio didicimus experimento, quod de sanctis Apostolis Euangelia sacra testantur, quod dum suam eis praediceret Dominus passionem, erat verbum absconditum, ab eis, & capere non valebant. Nimirum quod tam vehementer horrebat animus, minùs facile persuadebatur

vt

Corripitur
vir sanctus
gravi mor-
bo & suauis-
simo spiritu
tendit ad
finem.

Luc. 18.

vt crederet: præsertim cum & ipse compatiens filijs, eiusmodi verba supprimeret. Ceterum factis quodammodo clamans, Opera consummaui, quæ dedit mihi pater vt facerem, ac magis & magis actus omittere, affectus retrahere, & sacrorum funibus desideriorum sedula intentione præiacis, vicino iam litori hæere firmius, commodiusque applicare. Denique cum venerabilis antistes sedis Lingonicæ Godefridus, de quibusdam eum sollicitaret agendis, & minus apponere animum miraretur: Nè miraris, inquit: ego enim iam non sum de hoc mundo.

Videns autem pater sanctus, compassionis & misericordiæ visceribus affluens, charissimos sibi fratres & filios miserabiliter admodum tabescentes & arecentes præ timore & expectatione iam iamque imminentis desolationis grauissimæ & lamentabilis orbitatis, dulcissimis eos consolationibus refouebat: & monens eos in tuto diuinæ clementiæ sinu spei fideique suæ ancoram per inconvulsibilem charitatem firmius radicare, se quoque promittebat nec post mortem eis aliquando defuturum. Propensius autem, quam noster queat exprimere sermo, rogans obsecransque per multas lachrymas, timorem Dei & sacræ puritatis ac totius perfectionis amorem nostris immittere & imprimere animis conabatur. Sed & monebat, & cum lachrymis obtestabatur, vt si quid fortè virtutis aut exemplo nobis commendasset, aut verbo, id æmularemur, id firmiter teneremus, & proficeremus in eo: alijs quidem verbis, sed eodem spiritu illud Apostolicum loquens: Rogamus vos & obsecramus in Domino Iesu, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo per omnia, sic & ambuletis, vt abundetis magis. Atque vtinam tam efficaciter persuaserit, quam affectuosè suaserit.

Modum autem ægritudinis eius si quis nôsse desiderat, extat Epistola, quam ad amicum quendam paucissimis diebus ante sacram à nobis professionem suam ipse dictauit. Quam nimirum huic narrationi nostræ duximus inferendam, quòd videlicet etsi aliena quoque de ipso, amplius tamen nos ipsius de se verba, delectent. Suscepimus charitatem vestram in charitate, & non in voluptate. Quæ enim voluptas, vbi torum sibi vendicat amaritudo? Nisi quòd solùm nihil comedere, vt cunque delectabile est. Somnus recessit à me, nè vel beneficio sopiti sensus dolor vnquam recedat. Defectus stomachi ferè totum, quod patior, est. Frequenter in die & in nocte exigit confortari modico admodum qualicumque liquore. nam ad solidum omne inexorabiliter indignatur. Hoc parùm, quod dignatur admittere, non sine graui molestia sumit: sed timer grauiorem, si sese vacuum omninò dimiserit. Quòd si plusculum quid interdum admittere acquiescat, id grauissimum. Pedes & crura tumuerunt, quemadmodum hydropicis contingere solet. Et in his omnibus, nè quid lateat amicum, de statu amici sollicitum, secundum interiorem hominem, vt minus sapiens dico, spiritus promptus est in carne infirma. Orate Saluatorem, qui non vult mortem peccatoris, vt pestifium iam exitum non differat, sed custodiat. Curate munire votis calcaneum nudum meritis, vt is, qui insidiatur, inuenire non possit, vbi figat dentem, & vulnus infligat. Hæc ipse dictauit, sic me habens, vt per notam vobis manum, agnoscatis affectum.

Hoc exemplar Epistolæ, quam, vt nos diximus, & ipsa quoque eius verba declarant, pater sanctus exitu iam imminente dictauit. Ex cuius tenore posset nimirum diligens lector sacrum illius vel ex parte aliqua pectus agnoscere, quanta illi in ipsa sui ruina corporis tranquillitas mentis, serenitas animi, suauitas spiritus, quanta sub fidutiæ culmine radix humilitatis. Sed nostrum sub tam graui articulo inconsolabilem luctum aliquatenus illi æstimare ac sibimet exhibere licebit, pallidasque, si piè senserit, turmas imaginabitur filiorum, exterminatas facies, vultus exangues, genas lachymis sordentes, suspiria quoque pectorum ac singultus. Quis enim apud nos erat tumultus cogitationum, quod naufragium animorum, cum thesaurus tam amabilis raperetur à nobis, & presentibus & cernentibus, quia nec spes esset retinendi, nec facultas aliqua commeandi? Pater erat, sed qualis pater, qui videbatur abire? Nobis quodammodo proprius, verius tamen toti mûdo communis. Erat enim omnium & bonorum gloriatio, & malignantium merus: vt de eo non incongruè videretur esse fallendum: Videbunt recti & lætabuntur, & omnis iniquitas oppilabit os suum. Quo presente, sanctitas omnis iucundabatur, præsumptio frenabatur, duritia compungebatur. Quo presente, celebris quisque conuentus velut quodam sole resplenduit: absente, caliginosus & quodammodo mutus apparuit. Quam deuotè, quam piè

Non vult in sua infirmitate apponere animum ad temporalia.

Consolatur & adhortatur vir piissimus fratres mortuos.

1. Thez.

Epistola eius ad Abbatem Bonualis Arnoldum, quæ est in eius Epistolis 310.

Inges dolor nec lanè immeritò, fratrum ob sancti viri decessum.

Psal. 106.

4. Reg. 2. singulis nostrum & tunc hodieque clamandum, Pater mi: currus Israël, & auriga eius. Tu fluctuantium portus, clypeus oppressorum, & vt de scipio beatus Iob loquitur, cæco fuisti oculus, & pes claudus. Tu perfectionis exemplar, virtutis forma, speculum sanctitatis. Tu gloria Israël, tu lætitia Hierusalem, tu delicia tui seculi, & vnicum tui temporis decus, oliua fructifera, vitis abundans, palma florida, cedrus multiplicata, platanus exaltata. Vas electionis, & vas honoris in domo Dei: vas auri solidum, ornatum omni lapide precioso, fide & sanctitate solidum, & varijs charismatibus tanquam gemmis ornatum. Tu Ecclesiæ sanctæ fortissima splendidissimaq; columna, tu vehemens tuba Dei, tu dulcissimū sancti spiritus organum, pios oblectans, desides excitans, debiles portans. Cuius medicinalis manus & lingua, morbos vtraq; curabat, illa corporum, ista morum. Cuius erat simplex habitus, simplex vultus dulcis facies, graciosus adpectus. Cuius denique vita fructuosa, cuius mors preciosa: quia tibi quoque Christus viuere fuit, & mori lucrum. Quod si nobis alterum fortassis vtilius, sed alterum multo melius tibi. Et quod tibi tam commodum, nobis, si pie sapimus, non potest non esse iucundum. Ceterum etsi pium est congaudere tibi, pater bone, qui in gaudium Domini tui feliciter introisti: non tamen impium super nos ipsos flere, quos nimirum, abeunte te, solito grauius horror geminus circumspicit, dum nobis est vita radio, mors timori. Etsi pium congaudere tibi, qui beato transitu mortis, ad torrentem voluptatis, quem ardentè sitiebas, accessisti: nostram tamen vicem dolere non impium, quibus & viuendi omnis pariter est sublata suauitas, & moriendi necdum collata securitas. Etsi pia tibi impenditur gratulatio, quæ in plenitudine lucis exultas: non tamen impia super nos assumitur lamentatio, qui relictus sumus: post mirificam, in qua hæcenus exultauimus, claritatem, horrere magis tenebras subintrantes: post aurea, quæ paulò antè vidimus, secula, grauius ferre hoc planè ferreum, quod successit. Sed reflectamus styllum ad ordinem narrationis, & paternum, quibus possumus, votis exitum prosequamur, exitum nobis lugubrem: nam illi potius triumphalem.

Ante patris huius excessum accedentes ad eum filij, quos per Euangelium ipse genuerat, pijsimum eius animum lachrymabili supplicatione pulsabant, & hæc atque huiusmodi loquebantur: Nunquid non misereris huic monasterio pater? Nunquid non compateris nobis, quos tanto pietatis affectu maternis lactantibus vberibus, paterna consolatione fouisti? Quomodo sic exponis labores tuos, quos in loco hoc laborasti? quomodo tam dilectos hæcenus filios sic relinquis? Tunc flens ipse cum flentibus, & columbinos in celum oculos porrigens, ac mente tota Apostolicum illum spiritum concipiens, testabatur se esse coardatum è duobus, & quid eligeret ignorantem, diuina totum arbitrio tribuere pietatis. Nam & hinc paterna illum urgebat charitas, filiorum votis annuere, vt maneret: & inde trahebat Christi desiderium, vt migraret. Cui tamen ab olim iam & altius radicata in pectore eius humilitas persuaserat, vt ex intimo cordis affectu seruum inutilem se esse diceret, & arborem sterilem reputaret, ex cuius vita nullus sibi fructus, nullus alteri cuiquam proueniret. Nam & solitus erat in familiari colloquutione fateri, vix credere se hominibus, quod sic eum sibi vtilem crederent, vt dicebant. Sed nec paruum sese in suis super huiusmodi cogitationibus perhibebat aliquandò sustinuisse consilium, quod nec tam veraces homines fallere velle, nec tam prudentes falli posse verisimile videretur, cum alterum excusare non posset. Quem enim totus mirabatur orbis, solus ipse, quod erat mirabilius, non videbat, suæ videlicet operationis opinionisve splendorem: sicut ille quondam vir simplex & rectus, nec solem cum fulgeret, nec lunam incedentem clare, vidisse se memorabat.

Nouissimè cum exterioris habitaculi vndique iam soluta compago, desideranti animæ liberum præstaret egressum, magnus dies ille illuxit, quo perpetuus illi ortus est dies. Ad cuius exitum, vicini Episcopi cum Abbatum multitudine copiosa & fratrum fuerant congregati. Hora autem diei penè tertia singularis lucerna suæ generationis, sanctus ac verus Abbas Bernardus, à corpore mortis in terram viuentium feliciter, Christo duce, migravit ex filiorum circumstantium & inter graues singultus ac lachrymas vberes vt cunquè pfallentium choro, ad multorum, quos ipse premiserat, cœtus transiens lætabundos, ad sanctorum cuneos gratulantes, ad obuia agmina Angelorum. Felix anima, quam sic leuabant excelsa suorum priuilegia meritorum, quam sic pia filiorum prosequabantur inferiorum vota, sic quoque superiorum

Pie fratrum
preces &
querimonie
apud virum
Dei ad ex
rematen-
dentem.
Philip. 1.

Vide tanti
viri humili-
tatem.

Iob 31.

Felicissimè
obdormit
in Domino
vir beatissi-
mus.

rum desideria sacra trahebant. Felix ille & verè serenus dies, quo plenus ei meri- dies Christus illuxit, dies cunctis diebus vitæ suæ tantis ab eo expectatus desiderijs, expectatus suspirijs, frequentatus meditationibus, orationibus præmunitus. Felix transitus de labore ad refrigerium, de expectatione ad præmium, de agone ad brauium, de morte ad vitam, de fide ad notitiam, de peregrinatione ad patriam, de mundo ad patrem. De quo etiam transitu eius multa nouimus apparuisse quam- multis, & quidem non indigna relatu: sed difficile nimis, singula inuestigare: & scribere omnia, nimis longum. Nam & vsque modò multifariè multisque modis paternus erga filios amor, verè etiam tunc, immò verius nunc viuens & vicens, crebris reuelationibus eorum dignatur solari lachrymas, releuare mœstiriam: vt quo ei dulcius congaudent, minus anxie doleant sibi. Si qua tamen ex his, ni- mis prolixam desiderantia narrationem, lector scire desiderat, proprio magis nouissi- moque capitulo credimus reseruanda. Interim cetera prosequentes, quanta possu- mus violentia animos auertamus ab illo tam graui gemitu & rugitu, quo nimirum grex miserabilis, pastore migrante, personuit. Parcamus pagina, & quantum possu- mus, stringamus oculos, palpebras complodamus aduersus lachrymas illas, quibus in illo suæ claritatis abscessu vallis nostra fluebat, Ecclesiæ protinus vniuersæ calicem sui propinata mœroris, cui hætenus consueuerat stillare dulcedinem, gaudia fun- dere, fluere consolationes.

Crebro ap-
paret fratri-
bus.

Dum fidelis minister & sacerdos altissimi ingreditur in locum tabernaculi ad mirabilis, ad altare Dei, sacram ei & acceptabilem hostiam sui spiritus oblatu- rus, corpus etiam ritè paratum & ornatum sacerdotibus vestimentis, oratorio beatæ Mariæ Dei genitricis infertur. Plurima quoque nobilium & ignobilium de vicinis quibusque locis gemebunda protinus turba conuenit, & vallem totam ploratus & ululatus multus implebat: amariùs tamen pro foribus monasterij la- mentabatur sexus miserabilior mulierum, quòd accedentibus ad eius vestigia vi- ris, monastici Ordinis disciplina inexorabiliter eis etiam tunc negaret ingressum. Biduo mansit in medio gregis pastor extinctus, dum pristina illa gratia dulcissimi vultus nil minorata, sed aucta magis, omnium in se figeret oculos, animos traheret, sepeliret affectus. Crescebat autem supra modum ruens vndique populi mul- titudo, & intolerabilis iam fiebat imperus concurrentium, ac desiderabiles tenen- tium pedes, osculantium manus, applicantium panes, balteos, nummos, & alia quæque, seruanda sibi pro benedictione, & varijs necessitatibus profutura. Maxi- mè tamen parati in diem tertium, solennem per loca proxima præstolabantur re- pondendi sacri corporis eius horam, copiosius vndique conuenturi. Nam & secunda die tantus circa meridiem populus fuerat congregatus, & tanto pietatis zelo sti- pati, vndique sacrum corpus obfederant, vt nulla penè Episcopis reuerentia, nulla fra- tribus haberetur. Vnde veriti, nè quid simile, aut fortè grauius accideret, die tertia præoccupantes horam, & manè diuina ex more sacrificia consummantes, sicut & bi- duum iam in celebratione Missarum & iugi fecerant melodia, purissimum illud balsa- mum vasculo commisere, * sub lapide reponentes lapidem preciosum, optimam

Sacrū eius
corpus ora-
torio Mariæ
virginis in-
fertur sepe-
liendum.

Gratia mira
in vultu de-
functi.

*in

margaritam. Consummatis ergò feliciter vitæ suæ diebus, & annis circiter sexagintaquatuor expletis, dilectus Domini Bernardus, Claraualensis cœnobij primus Abbas, aliorum quoque ampliùs quàm centum sexaginta monasteriorum pater, tertio decimo Ca- lendas Septembris, inter filiorum manus obdormiuit in Christo: sepultus est autem vndecimo Calendas eiusdem mensis. Sed & pectori eius ipso in tumulo capsula su- perposita est, in qua beati Thaddæi Apostoli reliquiæ continentur, quas eodem anno ab Hierosolymis sibi missas, suo iusserat corpori superponi: eo utique fidei & deuotio- nis intuitu, vt eidem Apostolo in die communis resurrectionis adhæreat. Priùs ta- men, quàm sacratissimum illud corpus tumulo redderetur, vnus è fratribus, qui ex multis annis caduco morbo grauius laborauit, plena fide opem flagitaturus accessit. Quem nunc vsque superstitem nouimus, & nihil vnquam ex ea hora prædictæ infeli- citatis expertum.

Numerus an-
norū vitæ
eius.
160. mona-
stera con-
didit.

Comitalis
frater sana-
tur.

Facta sunt hæc eodem anno, quo beatus Papa noster Eugenius tertius, eiusdem pa- tris sancti in sancta conuersatione filius, ab hac luce, vel magis ab hac caligine migra- uit ad lucem: cuius merita in ipsa, cui tam insigniter præfuit, Vrbe miraculis pluribus illustrata coruscant, successore eius Anastasio Romanæ Ecclesiæ presidente: regnan-

Eugenius
Papa post
obitum mi-
raculis co-
ruscat.

tibus autem in Romanorum Imperio Friderico illustri, in Francorum regno pijsimo rege Ludouico, filio Ludouici : principatum Ecclesie vniuersae, ac totius creaturae visibilis & inuisibilis monarchiam tenente Dei filio Iesu Christo, anno ab incarnatione sua millesimo centesimo quinquagesimo tertio : Qui cum patre & spiritu sancto viuunt & regnant Deus in secula seculorum, Amen.

CAP. III.

TAm de supra memoratis reuelationibus pauca dicturi, ab eo sumamus initium, quod praedictum est anno septimo, antequam fieret. Erant duo fratres in monasterio, de sacra beati patris vita & felicibus actibus eius colloquentes : quorum alter ab incunte adolescentia educatus ibidem, ad alterum ait : Nosti, quot annis sit victurus hic beatissimus pater noster ? Cui ille : Nescio, inquit. Et alter : Ego, ait, noui eum sex aut septem annos adhuc in carne victurum. Hoc autem vnde sciret, minime iam scire possumus : quia nec tunc indicauit, & ante patrem sanctum ipse decessit. Porro alterius hodieque superstitis relatione hoc verbum audierat, ita vidit. Talis verò ille est, de cuius testimonio nec nos ambigimus, nec cuiuslibet alteri, qui cum nouerit, dubitandum credimus. Neque id solum, sed quod non minori dignum admiratione videtur, nomen quoque & personam successoris ipsius, indicante sibi eodem fratre, ex tunc innotuisse testatur. Manifeste enim eadem hora frater ille praedixit, quia dominus Robertus, qui hodie Abbas est de Dunis, post hunc beatum patrem Abbas futurus est Claraualis. Nam quòd disunctiue sex aut septem annos victurum dicebat, ad hoc pertinuisse videtur, quòd inuentus sit terminus idem ultra sex annuum, intra septimum tamen.

D. Robertus
Abbas Dunensis post
S. Bernardum
Abbas Claraualis factus.

Fratrum precibus dolet
se in vitam eternam.

Visio fratris
cuiusdam.

Item alterius fratris
visio.

Propè iam erat tempus, & festinabat sanctus pater ad metam. Infirmabatur enim, sicut in huius libelli principio memorauimus, adeò vt in illa iam infirmitate ipsius perfici virtus, iam imminere exitus videretur. Interea fratres insitère supplicationibus & obsecrationibus, quibus poterant, apud Deum. Vnde etiam sanctus ipse cognoscens, precibus eorum desiderium suum differri, cum aliquanto melius secundum corpus habere coepisset, congregatis fratribus, hac eadem verba locutus est : Quid tenetis miserum hominem ? Fortiores estis, & inualuistis. Parcite, quaeso, parcite : finite me abire. Prius tamen, cum in summo periculo & timore fratres omnes in orationibus humiliarent animas suas, vni eorum visio talis apparuit : Occurrebat cum multa exultatione viro Dei extra monasterij claustra innumerabilis multitudo. In qua processione solos quatuor praeeuntes idem frater, qui videbat, agnouit, magnum illum dilectorem eius atque dilectum, cuius & ipse in libro quarto de consideratione cum laude meminit, Gaufridum Episcopum Carnotensem : Humbertum quoque, qui Igniacensis coenobij fuerat primus Abbas, & duos eius germanos, Guidonem scilicet & Gerardum. Exceptus itaque reuerenter, & post osculum amica diu colloquia miscens pater beatus, cum his quatuor stabat, expectante seorsum multitudine ceterorum. Nouissime salutantes eum praedicti viri, ex hoc sibi redeundum iam esse dicebant. Tum verò expalluit ille, & circumfusa sibi aestitia internum declarans animi dolorem, Quid ergò, ait, sine me vultis abire ? Et illi : Non possumus adhuc tuo nostroque satisfacere desiderio, donec veniat tempus nouorum. Dicebant autem tempus nouorum, quo fruges nouae colligerentur, sicut euidenter postmodum probauit euentus, dum in Augusto mense decessit. Manè ergò frater ille, cui hoc ostensum fuerat, consolatus est ceteros, velut iam imminentem patris obitum formidantes, & quod viderat & audierat, indicauit. Adhuc autem hyems erat.

Eodem tempore altera quoque visio, prioris confirmatio fuit, nisi quòd euidentis iam vtriusque completa veritas probat, quam euidenter in vtraque, quòd futurum erat, Dominus reuelauit. Videbat enim frater quidam, & ecce parabat vir beatissimus ascendere Hierosolimam : iamque ipso in procinctu itineris erat. Ad quem venerabilis Odo, qui à primis ferè annis strenue satis & laudabiliter conuersatus in monasterio, absentium consueuerat Praepositorum supplere vices, reuerenter accedens, dicebat se praecessurum. Cuius visionis sic ostensa est veritas, vt praedictus vir Deo dignus, ad caelestem Hierusalem, vbi vera visio est pacis, parantem iam egredi, & paulò post secuturum patrem sanctum, felici functus legatione, praerit.

Sed & Abbas quidam, satis ei & loco & habitatione vicinus, nec minus animo & affe-

affectione deuotus, paucis diebus ante felicissimum patris huius excessum, videbat Visio Abba-
tis cuiusdā. cum preciosissimis ornatum sacerdotalibus indumentis, & excellenti perfusum gloria, cum ingenti solēnitate ad altare deduci. Ad cuius introitum ecclesia magna, magnis exultans vocibus, exclamabat: Puer natus est nobis. Verē etenim ipse puer erat, mitis & humilis corde, & sicut paruulus accipiens regnum Dei: in cuius meritō gratulabunda natali Angelica multitudo, & omnis pariter sanctorum Ecclesia, dum nobis videretur mori, sibi illum nasci, dum hīc consummaretur, ibi incipere, non tam sonoris vocibus, quā votis paribus concinens, exultabat. Si enim ad vnus pœnitentiam peccatoris, tota illa cœlestis regio in latitiam suscitatur: quænam illi gaudia exhibuisse credenda est, per quem tanta gaudia receperat de tam multorum conuersione peccatorum? Quis enim valeat æstimare, quantis in seculari habitu & conuersione manentibus, compluribus vtriusque sexūs ad alias transeuntibus congregationes, per huius fidelis famuli ministerium dedit Dominus pœnitentiam ad salutem? Aut quis numeret eos, qui sub eius cura in centum sexaginta monasterijs, per Dei benignitatem ad pœnitentiam sunt adducti? Nam & his solis, qui speciales eius filij videbantur, præter eos, qui iam cursum vitæ feliciter consummauerāt, præter eos, qui per alia loca fuerant propagati, ea die, qua felicissimus pater ex Claraualle montem ascendere meruit clariorem, reliquit inhabitantes in ea septingētās septuaginta ferme animas, Domino seruientes. Quid igitur mirum, si gratus curiæ, si acceptus Regi, si exceptus cum lætitia & exultatione credatur, in quo gratia vsque adeo vacua non fuit, qui tam fideliter, tam efficaciter plūs omnibus sui temporis & multarum retrō generationum laborauit, qui talentum sibi traditū, tam copiosē multiplicauit, tanta deniquē lucra retulit de negotio? Sed de his hæcenus, nē quis nos arguat eius, quam polliciti sumus, metas excedere breuitatis.

Sanē in monasterio prædicti illius Abbatis, qui sic natalem eius præuiderat, ea nocte, quam nobiscum pater sanctus, manē profecturus, vltimam fecit, venerabili Præposito eius appārens, valefecit illi, & ait: Nōueris, quia iam migro, nec vltiūs hīc morabor. Quod vt suo indicauit Abbati, accelerans Abbas, & Clarauallem veniens, ipso die Abbatem sanctum, sicut prædixerat, reperit iam migrāsse.

Frater Vuilhelmus de Monte Pessulano, cuius & supra fecimus mentionem, vir magnificus olim in seculo fuit, sed magnificentior in seculi fuga. Hic in monasterio Grandisyluæ monachus factus, patrem sanctum deuotissimē visitauit. Rediturus autem, lachrymabiliter querebatur, quōd non esset eum vltā visurus. Cui vir Dei: Nē timeas, ait: adhuc me sine dubio videbis. Huius effectum promissionis deuotissimus ille Vuilhelmus expectans, ipsa nocte, cum beatus pater ex hac vita decessit, in monasterio Grandisyluæ appārentem sibi videre meruit, & dicentem: Frater Vuilhelme. Et ille: Ecce ego domine. Veni, inquit, mecum. Ibant igitur pariter, & ad montem quandam altissimum peruenerunt. Interrogauit autem sanctus, an sciret, quōd venisset. Ille verō se nescire professus est. Cui ipse: Ad radices, inquit, montis Libani uenimus. Et nunc manebis hīc: ego autem ascendam in montem. Interrogatus, qua de causā uellet ascendere: Discere uolo, inquit. Miratus ille. Quid, inquit, vis discere pater, quem nulli hodiē in scientia credimus esse secūdum? Ad quem sanctus: Nulla, ait, hīc scientia, nulla veri cognitio: sursū scientiæ plenitudo, sursū notitia veritatis. Et in hoc verbo dimittens eum, in montem altissimum subijt coram illo. Cumque intueretur euntem illum, expergefactus est, & protinus occurrit ei uerbum illud, quod ad Iohannem olim de cælo sonuit: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Vt ergō manē locutus est Abbati suo & fratribus, patrem sanctum ex hac uita migrāsse dicebat. Et notantes diem, ac diligentius inquirentes, ut audierant, inueniunt. Eugē pater sancte, qui ascensiones in corde disposuisti in ualle lachrymarum, feliciter iam ascendisti de Claraualle in montem Libani, montem eanditionis, plenitudinem lucis, celsitudinem claritatis. Innocens manibus & mundo corde, ascendisti in montem Domini, ad diuitias salutis, ad thesauros sapientiæ & scientiæ peruenisti, ubi purē puram uideas ueritatem, ubi vnus tibi cum omnibus sanctis magister est Christus, ubi omnes iam docibiles Dei. Trahe nos post te, quæsumus, & de monte excelso misericorditer respice uallem tuam. Adesto laborantibus, subueni periclitantibus, manum porrige ascendentibus. Dat fiduciam tua nobis ab olim experta, nec exispanita modō, sed ampliūs cumulata benignitas: quinetiam uisio, quam subnectimus, ab eadem nostra præsumptione non discrepat.

Dddd 4

Proxi

Visio Abba-
tis cuiusdā.

Luc. 15.

Nota ma-
gnū nume-
rum fratrum
Claraualle-
sium sub B.
Bernardo.Vir sanctus
appāret vni
præposito
familiari,
exitum suū
denunciās.Vir sanctus
appāret fra-
tri cuidam
post deces-
sum suum.Terrena sci-
entia im-
perfecta:
quæ de sur-
sum est, per-
fectissima.
Apoc. 14.

Iohan 6.

Proxima nocte, postquam sacrum corpus eius sepultura traditum fuerat, quātum adhuc pro filijs sollicitudinem gereret pater sanctus, & quomodò suos, quos in mundo dilexerat, in finem quoque diligeret, euidenter ostendit: Appārens cuidam fratri in multa gloria, & fulgore magno vestis & vultus: & desiderātem tenere citò pertransiens, aiebat, Quia pro quodam fratre simplici veni. Audiērūt hoc fratres, & mirabantur: sed circa horam diei tertiam veritas comprobata est visionis. Defunctus est enim quidam laudabilis admodum simplicitatis frater, & sicut omninò credibile est, animam eius tanto duce felicem, qui pro eo venire se dixerat, secū tulit. Paucis quoque expletis diebus alteri cuidam fratri magnificè satis appārens, & arguēs de suo nō doluisse decessu, post verba multae consolationis & promissionem felicitatis aeternae in sua perseverantibus obedientia & doctrina: Hoc etiam scito, ait, & dicitō fratribus, cuiusdam verè sancti corpus, cuius & ego vestem habeo, in oratorio esse sepultū. Dicebat autem Episcopum Malachiam. Ipsius enim tunicam, in qua sanctus ille feliciter obdormiuit, ad Missarum sibi seruauerat celebrationem, & moriturus, in ea se iusserat sepeliri, sicut & sanctum illum in sua sepeliērat veste. Quod tamen verbum & ipsi fratri, & compluribus alijs, vsque ad visionem istam, prorsus erat ignotum.

Felix pontifex, cuius merita pater sanctus & viuens praedicaauerat, & defunctus Felix charitas, quae in morte non excidit: felix societas, quam nec illud diuortium, careris tam crudele, diremit. Gloriosi siquidem Patres, quēadmodum in vita sua dilexerant se, ita & in morte non sunt separati. Nam & post dies circiter quadraginta, Abbas quidam ex maioris Britanniae insula, sacrae illius societatis virtutem feliciter experiri meruit in seipso. Qui eodem tempore cum ceteris coabbatibus suis ex more Clauallēsterium petens, in Claualle remanserat, gemino quodam desperabiliter occupatus incommodo, pleuritidis scilicet & febris quotidianae. Iamque eatenus longa vexatione defecerat, vt solum animae eius exitum fratres, qui ei nunquam deerant, obseruarent. Cumque animum eius angeret, non tam desiderium vitae praesentis, quam absentium desolatio filiorum, quod peregrè moreretur, obnixè petijt, vt ad tumulū sancti deportaretur Abbatis. Vbi cum orasset tota deuotione, qua potuit, beati quoque Episcopi Malachiae, in Aquilonari ipsius oratorij latere positum cogitauit visitare sepulcrum, auxilium flagitare: sed fatigationem veritus, & quasi iam securus de incolumitate, quod cogitauerat, non impleuit. Die altera manē iterum fratres aduocans, vt ad oratorium veniat, opem sibi postulat exhiberi. Causantibus illis, (periculum siquidem verebantur) Omnimodis, inquit, oportet, vt sancti Malachiae tumulū petam. Cum enim nocte praeterita vix tenuiter obdormissem, expergefactus subito, audiebam vocem dicentem mihi: Sanatus iam ab altera aegritudine tua, si ab altera vis sanari, Episcopum pete. Fecerunt illi, vt ille voluit: & continuo factum est, vt dictum erat ad illum. Eodem die sanus factus, post paucissimos dies iter arripuit, & incolumis reuersus est ad suos. Tuum in hoc opere spiritum, tuam agnoscimus dulcissime pater zelum, tuam considerationem: tuum hoc opus, sic deferre collegae tuo, vt hunc quoque ei communicares honorem & amorem, cum quo feliciter apud Dominum gloriae gloriaris. Immo verò tui sunt haec omnia operis, tui muneris Deus noster. Tu enim replēsti ab initio temporis terram praesentia tuae diuinitatis, omnem aliquandò repleturus gloria maiestatis: cuius tamen partes interim quasdam & aeterno praeelecta loca consilio excellentius visitans, repleas speciali gratia sanctitatis. Fac Domine spiritali semper abundare frumento Vallem, quam vt faceres tam re quam nomine clariorem, dignatus es tam eximia claritatis sideribus illustrare duobus. Custodi domum: in qua tibi geminum hoc tam preciosum depositum custoditur.

Ad sepulera SS. Malachiae & Bernardi sanatur.

Matth. 6.

Fiat nobis denique iuxta verbum tuum, vt vbi est thesaurus tuus, ibi sit & cor tuum: ibi gratia, & misericordia, & respectus assiduae pietatis super omnes, ibidem in tuo nomine congregatos, quod est super omne nomen, sicut & tu super omnia Deus benedictus in secula,

Amen.

VITA

DE S. STEPHANO HUNGARORVM REGE.
VITA S. STEPHANI PRIMI REGIS HUNGARORVM, QVI EOS AD CHRISTI RELIGIONEM TRA-

583

*duxit: ab Episcopo Chartuitio conscripta, sed stylo mutato per
F. Laur. Surium. Nos numerum capitum ad
marginem adiecimus.*

PRAEFATIO AVTHORIS AD COLOMANNVM REGEM.

Domino suo Colomanno, Regi excellentissimo, Chartuitius Episcopus, spiritale ministerium Dei benignitate adeptus, post huius vitae terminum, illud Eugē precatur sempiternū. Aggredior nunc opus, serenissime Rex, iussu tuo mihi demandatum, a quo haec nūc ingenio mei imperitia abhorruit, ob id praesertim, quod Priscianus Grammaticus, mihi olim sat benè perspectus & cognitus, procūla me digressus, iam decrepito mihi, tanquā caligine quadam septus, faciem exhibet obscurissimā. Sed cum alia ex parte dignitatis tuae attenderem autoritatē, vicit tandem anxiae mentis dubitationem omnem, virtutū omnium lux & gemma, obedientia: cuius forti praesidio fretus, tametsi mihi vires cernerem haudquaquam suppetere, operis inchoandi fiduciam concepi. Cū sint autem plerunquē inuidiae obnoxia, quae bona animi fiduciam geruntur: supplex oro regiam sublimitatem tuam, vti opusculi huius suscipere nē grauetur patrocinium: nec offendatur parū commoda dictione, aut ordinis & rerum gestarum confusione. Quod si occurat quippiam, quod foedam habeat offensionem, mālīm codicem ignibus absumi, quā liuoris materiā cuiquam offerri. Et quia bona omnia ad nos ex diuina misericordia proficiuntur, ipsius munere sic libet opusculum praesens auspicari.

Is Colomannus est 8. Hungarorum rex. Matth. 25.

VITA.

MNE datum optimum & omne donum perfectum, descensum est, descendens a patre luminum. Huius quidem patris datum optimum & donum perfectum, ad omnes largiter dimanans, (Neminē enim spernit, sed vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis peruenire, ad Hungaros vsque, quos olim Christianorum flagellū fuisse constat, sese diffudit. Quod quēadmodū & quando factum sit, styli officio ad posterorum notitiam transmittere visum est. Ea quidem tempestate, qua Hungarorum gens, Dei Ecclesiam populabatur, fuit in ea princeps quidam, quartus ab eo, qui Hungaris in Pannoniam ingressus ducē se praebuit. Is Geisa dicebatur, seuerus sanē & crudelis homo in suos, potenter eis imperans: erga alios verō, praesertim Christianos, humanus, misericors & liberalis. Etsi autem paganismi adhuc erroribus esset implicatus, attamē caelestis gratiae luce spiritali appropinquante, cum omnibus vicinis circunquaquē prouincijs de pace coepit accuratē tractare, vt iam in illo liceret animaduerti, cuius optaret esse filius, dicente in Euangelio Domino Salvatore: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Edicto quoquē proposito, iussit Christianis omnibus, in ipsius ditionem siue Ducatum ingredi volentibus, hospitalitatis & publicae fidei studium & curam impendi. Porro Clericis & Monachis fecit potestatem in ipsius quoquē conspectum veniendi, eosque propenso animo audiuit: atque ita factum est, vt orthodoxae fidei semina in pectoris eius horto satum, in fruges erumpere gesserit.

Augusti 20. quo die tras largiunt ei reliquia. Obiit verō 15. Augusti. Cap. 11. lac. 1. 1. Tim. 2. Alludit ad dictū Antile

Geisa Dux Hungarorū.

Matth. 5.

Eius humanitas erga Christianos

Cap. 2. Credit in Christum.

Eius visio, qua edoēt est de natiuitate sibi filio.

Quid multa? Adest tempus caelitū dispositum: credit ipse cum familiaribus suis: vndis salutaribus expiatus, omnes ditionis suae homines pollicetur se ad Christianissimum perduciturum. Cū autem multum esset sollicitus de edomandis rebellibus, ritibus sacrilegis abolendis, ad sanctae Ecclesiae profectum pro sua aestimatione statuerendis Episcopatibus, mira quadam visione nocte eum Dominus consolatus est. Misit enim ad eum iuuenem speciosissimum, qui diceret ei, Pax tibi Christi electe: faceffat cura isthaec & sollicitudo. Nō fiet per te id, quod meditaris. Habes enim manus humano sanguine pollutas. Nascetur autē tibi filius, qui diuinā prouidentiae consilio id efficiet, quod tu animo cōcepisti. Erit is Rex, & ex eorum Regū numero, quos Dominus elegit, corqñā regni temporarij aeterna cōmutaturus. Tu verō hominem spiritali

gatione

gatione apud te functurum, honorificè excipito: Exceptum, reuerenter habeto, eius adhortationibus sincerum pij pectoris assensum adhibeto. Experrectus princeps, stupens ad visionem, prius secum, deinde cum Christianis & suis hominibus pertractas, humi totus prostratus, expansis manibus humiliter gratias agit Deo, sequè principatumque suum cum filio nascituro curæ illius, qui non dormit, neque dormitat, lachrymabundus commendat.

Psal. 120.

Cap. 3.

Adalbertus
Pragensis
Episcopus
Hungaros
conuertit.

Admirante autem eo de viro diuinitus ipsi prædicto, nunciatur illi, beatum Adalbertum Boëmensis ecclesiæ antistitem, ad ipsum venire, ad Christianam religionem fidemque non fictam eum traducere, & ob fidei profectum Domino laudis hostiam immolare cupientem. Is nūcius nouis Christi tyronibus ineffabilem attulit lætitiā: Dux procedit obuiam seruo Christi cum fidelibus quibusque, honorificè cum excipit, & vt in visione erat admonitus, modis omnibus se obedientiæ filium fore demonstrat. Deinde iubente ipso, sit vbique congregatio indomitæ gentis: per sanctū Episcopum fiunt conciones, eius adhortationibus mox illi conuertuntur & baptizantur, multis locis ecclesiæ conduntur. Lux enim illa, quæ illuminat omnem hominē, profligatis tenebris, cœpit in Hungaria enitēre, & completum est in ea, quod propheta ait: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Lux lucis inuisibilis Christus est, quem tunc gentiles videre meruerunt, quandō è tenebris reuocati, illum esse & verum Deum & hominem verum perfectè credidēre.

Esa. 9.

Cap. 4.
Visio vxoris
Geisæ
Ducis.

Non est autem silentio prætereundum, vt omnis ambiguitas tolleretur è medio, & nè parū fidei habere videretur visio Ducis oblata, etiā vxorem eius, iam partui propinquam, eiusmodi diuinitus consolatione affectam: Apparuit illi beatus Leuita & protomartyr Stephanus, Leuitici habitus insignibus ornatus, ita eam compellās: Confide mulier in Domino, & certa esto te filium parituram, cui primo huius gentis & regnum & corona debetur. Tu verò illi nomen impones meum. Cum autem femina non sine admiratione sciscitaretur ex eo, quisham aut esset, aut vocaretur, sic respondit: Ego sum Stephanus protomartyr, qui primus pro Christi nomine martyrium obiui. ijs dictis, disparuit. Nascitur itaque, vt prædictum erat, filius principi, notus Domino, secundum prophetā, priusquam in vtero conciperetur, & per Stephanum protomartyrem à Domino appellatus antè, quàm natus. Eum verò beatus & Deo dilectus Episcopus Adalbertus baptizauit, & nomē Stephani ei impositum est, non sine nutu & consilio Dei, vt nos quidem persuasum habemus. Stephanus enim Latine coronam significat. Et illum Deus voluit tum regni temporarij, tum futuræ beatitudinis redimere corona, vt vita & gloria perfruatur sempiterna. Oppido quidē Strigoniensi natus est, & illic quoque puer præceptis Grammatices ad plenum imbutus est. Intereā creuit accuratè educatus. cumque iam excessisset pueritiæ metas, pater eius conuocauit Hungariæ præceres & reliquos ordines, cōmunicatoque cum eis consilio, illum post se regnaturum constituit. Vtque ea res firmior esset, singulos ad sacramentum adegit. Deinde iam grandæuus, anno à Christo nato noningentesimo nonagesimoseptimo vitæ huius ærumnas cum cælestibus gaudijs commutauit. Eodem autem anno beatus Adalbertus, cum in Prussiam, gentis eius conuertendæ causā, profectus esset, martyrij palmam adeptus est.

Ierem. 1.
Stephanus
rex nascitur.Obitus Geisæ.
Martyrium
S. Adalberti
Episcopi.
Cap. 5.

Post obitum patris, Stephanus adhuc adolescens, principum & plebis fauore patri subrogatus, ardentiori animo in veritatis propagationem incubuit. Nam tametsi etiamnum esset adolescens, non tamen illi cor in ore, sed in corde os erat. Scripturarum diuinarum, quarum amore impensè flagrabat, non immemor, iudicium & iustitiam semper ob oculos versabat, & pulchrè quadrabat in eum illud Salomonis: Audiens sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Cumque omnia Dei præcepta sedulo obseruare conaretur, apud se pertractabat, quæadmodum populum suum ad vnus Dei cultū adducere posset. Anima duertēs autem sine vicinarū gentiū cōfœderatione id nequaquam fieri posse, cum exteris prouincijs pacem fecit, fidemque inchoatā egregiè confirmauit, vt posset eo securius id quod animo constituerat, in nouella plātatione efficere. Sed hostis torius boni & aduersarius diabolus, malignitate & inuidia plenus, vt eius sanctum propositum disturbaret, intestina ei bella excitauit. Eius enim instinctu populus gētilis, Christianæ fidei iugo colla supponere noluit, & cum principibus domini sui imperio subducere se moliebatur. Itaque depopulabantur eius vrbes, prædia vastabant, possessiones diripiebant, ministros caedebant, & vt cætera taceam, etiā ipsi insultabāt. Cumq; ab huiusmodi improbitate reuocare

Hungari
se
ditiones
mouent ad
uersus suū
principem
Stephanum

uocare se nollent, nec suo furori & amentia modum statuerent, Dux ipse, diuinae virtuti confidens, ad edomandam illorum rabiem, cum sui exercitus copijs sub signis Deo dilecti Pontificis Martini, & clarissimi martyris Georgij mouit in hostes, qui tum forte urbem obsidebant, quam vulgo Vesprinum vocant. Quod quidem illi in eius fecere contumeliam, vt quem ad locum ille familiariter consueuisset accedere, ibi ipsi confiderent, essetque ex eo loco facilius ad alia praesidia occupanda. At ille diuina fretus ope & clementia, illos aggressus est: & illis quidem suis armis confidentibus, ipso vero fide armato, vtrinque congressi sunt. Victis tandem hostibus, & partim caesis, partim captis, Dux victor abscessit: & sapienter quidem de illorum villis & agris siue possessionibus statuens, non quemadmodum olim Saul, qui superatis Amalechitis, contra quam Dominus iusserat, ex eorum spolijs optima quaeque seruauit: sed quia Pannonia beatissimum Martinum apud se natum gloriatur, cuius etiam meritis vir Christo fidelis, vt iam dictum est, ex hostibus victoriam reportauit: nihil de rebus eorum in suos vsus conuertit: sed ex Dei amantium consilio, iuxta ciuitatem sancti praesulis fundum eo loco, qui Sacer Mons dicitur, vbi sanctus Martinus, cum in Pannonia degeret, precari solitus erat, sub eius nomine monasterium construxit, possessiones & redditus sufficientes ei attribuens. Idem vero de Episcopis constituit, ex illorum captiuorum facultatibus decimas persolui volens, idque adeo exacte, vt si quis decem haberet proles, decimam prolem S. Martini coenobio daret.

Edomantur ab illo.

I. Reg. 8.

Monasterium condit Stephanus in honorem S. Martini.

Cap. 6.

Eius sancta studia,

Astricus Abbas venit in Pannoniam.

Extruit idem Abbas ibi monasterium.

Cap. 7. X. Hungariae Episcopatus.

Nota summi Pontificis auctoritatem.

Ita ergo hostibus sub iugum missis, Christi miles gaudio spiritali perfusus, omnem ingenij sui vim contulit ad consecrandam doctrinam Euangelicam. Itaque dabat operam eleemosynis, vacabat precibus, crebro adhaerens ecclesiae pauimento, cum lachrymis orabat Dominum, vt animi sui propositum ad effectum perduceret: vt qui sine illo nihil posset efficere, eius opitulante prouidentia, bona, quae facere decreuisset, cum virtutum incremento etiam re ipsa exequi valeret. Cum autem facile intelliceret, ad haec inchoanda & consummanda fidelium Christianorum consilium sibi esse necessarium, per nuncios & literas in partes omnes suum declarauit votum & desiderium. Multi igitur presbyteri & Clerici, sancti spiritus gratia compuncti, relictis sedibus suis, Christi causa peregrini esse voluerunt. Abbates & monachi, nihil proprii habere cupientes, sub tam religioso principe statuerunt ad sui institutum praescriptum venire: in quibus fuit Astricus Abbas cum discipulis suis: e quibus Bonifacius loco patris Abbas postea creatus, & a beato Rege in inferiores Hungariae partes causa praedicationis missus, in vertice gladio percussus, etsi superuixit, non est martyrij corona frustratus. Venerunt etiam duo e Polonia, eremiticae vitae contemplationis causa studiosi. Ex ijs alter Andreas dictus, confessionis merito choris Angelicis est adiunctus, haud obscure id declarantibus miraculorum signis, quae per eum Dominus effecit. Alter Benedictus nomine, pro Christo sanguine fuso, insigniter est laureatus. Porro Astricus Abbas cum suis honorifice acceptus, ad radices Montis Ferrei coenobium in S. Benedicti honorem construxit, vbi hodieque monachorum est congregatio, regulari disciplina pollens, temporalium rerum copijs ex Ducis liberalitate superabundans, nullius indigens, nisi vt ad Euangelij praescriptum, suos aliorumque pedes quotidianis precibus & lachrymis lauet. Cum his Dei seruis princeps Christianissimus, modo communiter cum omnibus, modo separatim cum singulis colloquia misceret, usque adeo diuinis conspectibus gratum & acceptum se praebuit, vt per eum omnes militiae eius comites ad veri Dei cultum adducti sint. Quos autem alios deos colere animaduertit, eos minis & terroribus subiugauit, & conuenienter doctrina Ecclesiastica illos instituens, in eorum ceruices disciplinae iugum & legem imposuit, omnesque daemonum spurcicias prorsus eliminauit.

Postea vero prouinciam in decem Episcopatus distribuit, quorum metropolim & magistrum esse voluit ecclesiam Strigoniensem. Non ignorans autem vir prudens Astrici Abbatis religionem, Episcopum eum Colocensem constituit, canonica electione creatum. Deinde quarto a patris obitu anno diuinitus permotus, eundem Astricum praesulem, qui etiam Anastasius dictus est, ad sanctorum Apostolorum limina misit, a Petri Apostolorum Principis successore periturum, vt recens conuersae Pannoniae largam benedictionem impertiret, Strigoniensem ecclesiam sua auctoritate metropolim constitueret, reliquos Episcopatus sua benedictione muniret, & ipsum Ducem regio diademate cohonestaret: vt eo fultus honore, quae diuinae gratiae adiutorio coepisset, ea magis magisque, promouere & constabilire posset. Per idem tempus etiam Miesca Po-

Mieſca dux
Poloniæ fit
Chriſtianus.

Ionorum Dux, Chriſtianam complexus fidem, legatos ſuos Romã miſerat, vt Pontificis benedictionem & regium ipſi titulum impetrarent. Aſſenſerat quidem Pontifex, & iam coronam egregio opere confici curarat, quam ei mitteret, ſua benedictione adiuncta. Sed quia nouit Dominus, qui ſint eius, qui etiam duobus ab Apoſtoliſ propoſitis, Matthiam ſocio ſuo prætulit, & cum Apoſtoli� annueradum curauit: illa corona Stephanum ornari voluit, poſtea felicius gloria ſempiterna coronandum. Noſte enim eius diei, quo ſtatuerat Pontifex coronam Polonorum principi dare perferendam, apparuit ei Angelus Domini, aitque ad eum: Noueris cras hora diei primaignotæ gentis nuncios ad te venturos, ſuo Duci coronã regiam & Apoſtolicæ benedictionis munus abs te expetituros. Eam ergo coronam, quam parari iuſiſti, illis incunctanter tribue, ad ipſorum Ducem eam abſportaturis: nec dubites illi eam cum regni gloria pro vitæ eius meritis deberi. Itaque craſtina luce, ea hora, qua prædictum erat, Præful Aſtricus ad Pontificem venit, demandatumque ſibi officium prudenter exequens, ſanctique Ducis res geſtas ordine referens, à ſede Apoſtolica regni coronam petijt, oſtendens dignum eſſe Ducẽ eo honore & dignitate, quippe qui diuina ſeruo ope, multos ſibi populos ſubiugãſſet, multosque infideles ſua potentia ad Chriſtum conuertiffet.

Cap. 8.
S. Stephanus
à Pontifice
Apoſtolus
vocat.

Ijs auditis, mirè exhilaratus Pontifex, precibus illis libenter annuit, Crucemque ante Regem, ceu Apoſtolatus inſigne, geſtandã adiunxit: Ego, inquit, ſum Apoſtolicus: at ille meritò Chriſti Apoſtolus dici poteſt, cuius opera tantum populũ ſibi Chriſtus acquiſiuit. Atque ea cauſa, quemadmodum diuina gratia ipſum docebit, eccleſias Dei vnã cum populis noſtra vice ei ordinandas relinquimus. Omnibus impetratis, quæ poſtularat, Antifites Aſtricus lætus ad ſuos reuertitur, illud ſecum ferens, cuius cauſa iter illud emenſus erat. Allatis verò Apoſtolicę benedictionis literis cum Corona & Cruce, Præſules cum Clero, Comites cum populo, in laudes Dei prorumpit, & Deo dilectus Stephanus princeps vngitur in Regem, & diademate regio feliciter coronatur. Ea autem dignitate auctus, quam ille vitam egerit, qua prudentia & moderatione fuerit, illud ſatis declarat, edictum, quod ab illo cum Epiſcopiſ & Hungariæ Primoribus promulgatum eſt: quo ſingulorum vitijs ſingula adhibuit remedia, & vt pacis, qua Chriſtus orbem coadunauit, ſe filium oſtenderet, inter cætera cauuit, nè quis alium hoſtiliter inuaderet, nè quis vicinum ſuum abſque iudicij ſententia laderet, nè quis viduas & pupillos opprimeret. Id verò decretũ, perpetui ſœderis ſubſcriptione, ad poſteros ſuos tranſmiſit.

Primus fit
Hungariæ
rex.

Cap. 9.
Ducit vxorem
Gifela
filia S. Henrici
Imperatoris.

Gifela regi
næ pietas.

Porro conſortem regni, præcipuè ſobolis propagandæ cauſa, ſibi adſciuit Henrici Imperatoris filiam Gifelam: qui Imperator, ob morum comitatem & manſuetudinem, Pius eſt appellatus. Ea autem Gifela, Chriſmate vncta, & corona regia inſignita, qualem ſe præbuerit erga Dei cultum ornandum, quàm frequens & benigna ac liberalis erga Chriſto ſeruientium congregationes fuerit, multarum eccleſiarũ Cruces, vaſa ſacra & utenſilia, miro opere effecta vel contexta, in hunc vſque diem teſtantur: præcipuè tamen Eccleſia Veſprinienſis, quam illa à fundamentis conſtructam, rebus omnibus, quæ ad Dei miniſterium ſufficiant, in auro, argẽto, multigenisque veſtibus præclare ornauit. Ipſe verò Rex nupèr inchoatos Epiſcopatus, id eſt, tam metropolitana, quàm cæteras cathedrales Eccleſias, ampliffima ſingulis aſſignata dioceliſ, & idoneo præfecto antiſtite, Abbatias quoque, prædijs, chortibus, familijs & redditibus regia planè munificentia inſtruxit, Crucibus, vaſis ſacris, aliaque ſupelleciliẽ ad Dei miniſterium ſpectante, pro cuiusque neceſſitate vel indigentia, ſatis exornauit, annis que ſingulis, quoad vixit, munera & oblationes ſemper auxit, nè aliquid extrinſecũs conquirere cogentur, qui rebus diuinis peragendis præerant. Monachorum quoque vitam & conuerſationem modò per ſeipſum, modò per alios accuratè inueſtigans, deſides arguebat, alacres & vigilẽs charos habebat. Canonicorum miniſterium, Epiſcoporum moderationi & circunſpectioni ſub Chriſti & Eccleſiæ teſtificatione commendabat, cum Apoſtolo omnibus omnia factus, vt omnes lucrificerent.

1. Cor. 9.

Cap. 10.

Ea tempeſtate in monaſterio ſancti Martini erat monachus quidam, Sebaſtianus nomine, cuius vita probabilis, & in Dei cultu religioſa deuotio habebatur. Eum venerabilis Rex miro cœpit amore complecti: (Quanto enim quiſque eſſet religioſior, tanto illi quoque charior erat) atque ob vitæ eius merita dignum eum cenſens, qui Epiſcopi dignitate polleret, Strigoniẽſis eccleſiæ Archiepiſcopum eum eſſe voluit. Sed

Sed quia flagellat Deus omnem filium, quem recipit, Sebastianum illum, ut eius patientia probaretur, ad tempus utriusque luminis orbitate afflixit. Nè verò nouellus grex, pastoris gubernatione destitutus, à recto itinere desisteret & aberraret, Romano Pontifice assentiente, Astricus Colocensem Episcopum, cuius iam crebrò est habita mentio, in eius locum Rex substituit. Triennio indè euoluto, Sebastianus ex Dei benignitate recuperavit visum: & Pontifice Romano approbante, Astricus cum pallo redijt ad suam Colocensem ecclesiam, Sebastianus Strigoniensem gubernandam recepit.

Erat sanè Rex ille fidelis & integer in omnibus factis suis, Deo toto pectore deditus & addictus: seipsum quoquè & regnum suum per votum & oblationem in perpetua Virginis Mariæ tutelam assiduis precibus contulit. Cuius sacratissimæ Virginis honor & gloria tam est celebris apud Hungaros, ut festum Assumptionis eius, tacito proprio nomine, sua lingua diè Domina appellent. Atque ut Rex pijsimus propensiorè tantæ Virginis defensionem & patrocinium posset promereri, in ipsa regniæ sedis ciuitate, quam Albam vocant, in eiusdem perpetua Virginis laudem & honorè, grandem & insignem atque in primis celebrem basilicam condidit, opere sanè mirifico celatis Chori parietibus, & pavimento marmore strato. Quam basilicam qui vidit, testimonium perhibet dictis nostris, innumera illic haberi palliorum & eorum, quæ paramenta vocant, genera: tabulas altarium non paucas ex auro purissimo, preciosissimorum lapidum ordinibus conspicuas: Eucharistiæ adiculam, quam ciboriū dicunt, arte mirabili supra Christi mensam extractam: conclaue, omnigenere vasorum crystallinorum, onychinorum, aureorum & argenteorum abundè referat. Tantæ verò elegantia ecclesiam vsque ad eò Rex sibi vni vendicauit, adeoque immunem esse voluit, ut nullus Episcopus quicquam in ea iuris haberet. Quibus autem diebus absolutio esset poenitentibus impendenda, aut sacrum Chrisma conficiendum, eum Episcopum voluit in ea & absoluere poenitentes, & Chrisma conficere, quem ipse vel præsens id facere iuberet, vel quem absens eò mitteret. Diuina quoquè Missarū solennia, Rege illic præsentem, eum duntaxat Episcopum celebrare, cui Rex, consentiente cum fratribus Præposito, id demandaret: absente autem Rege, absque Præposito & fratrum bona venia, nullum Episcopum illic sibi vel Missas celebrandi, vel cuiuslibet pontificalis ministerij exercendi licentiam vsurpare. Præterea eius ecclesiæ populum tanta libertate & immunitate gaudere voluit, ut nulli omnino Episcopo decimas penderet: sed soli Præposito & fratribus, prout ipse instituisset, seruitiū exhiberet.

Quæcunque autem seruus Dei per id tempus acquirere potuit, ea in Christum refundere studuit, à quo illa profecta non ignoraret: ut qui eum mundi huius gloria & honore dignum fecerat, etiam cælestis patriæ ciuibus clementer adscribere digneretur. Et in Prophetis quidem de Apostolis scriptum legimus, In omnem terram exiisse sonum eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Non debet autem hoc de solis illis duodecim accipi, sed de omnibus, à Deo ad euangelizandum missis, quorum fide, verbis & moribus, Ecclesia suis auget incrementis. Ex eorum autem numero ille, de quo agimus, Christianissimus Rex non minimus fuisse putandus est, ut qui bonæ voluntatis & piorum operum famam, quam ecclesijs in propriæ ditionis amplitudine construendis sibi peperit, in longinquas regiones & vrbes celeberrimas diffuderit ac propagarit. Extruxit enim in ipsa Hierosolyma, vbi Dominus noster Iesus Christus in carne versatus est, monachorum cœnobium, idemque prædijs & vineis, vnde eis quotidiani victus copia suppetat, ditauit. Romæ quoquè, quæ est mundi caput, sub protomartyris Stephani titulo, duodecim Canonicorum collegium condidit, rebus necessarijs & ad eiusmodi collegium attinentibus abundans: domos quoquè & hospitia Hungarorum, qui orationis causa Romam ad beati Petri Apostolorum principis limina venirent, exædificauit, muro ea lapideo circumdans. Tum quoquè urbem regiam Constantinopolim noluit suæ liberalitatis esse expertem, mirifici operis in ea condens ecclesiam, rebus omnibus necessarijs ei adiunctis. Iraque non immeritò suæ ditionis Apostolus appellatus est. Et si verò ille sibi euangelizandi munus non sumpsit, at tamen ceu quidam concionatorum dux & magister, defensionis & sustentationis solatia eis suppetitavit.

Inter omnia autem cælestis gratiæ munera, beato Regi diuinitus collata, illa vel præcipue admiranda & scriptis commendanda videntur, quæ etiam ad promerendam æternæ vitæ gaudia primarium locum obtinent, putà misericordia & veritas. In cunctis

Heb. 11.

Sebastianus primus Strigonienensis Archiepiscopus.

Cap. 11.

Mariæ Virginis apud Hungaros quanta veneratio.

Augustissimi B. Mariæ templi in Alba regali.

Cap. 11.

Psal. 18.

Cœnobium condit sanctus rex Hierosolymis.

Romæ Canonicorum collegium.

Ecclesiam Constantinopolim.

Cap. 13.

ctis enim felicibus factis suis hoc vel maximè sibi consecrādum existimabat, quod in Euangelio scriptum, fidelibus interioris hominis oculis contemplatus erat, ipsa veritate irā dicente: Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur, & alio loco: Date, & dabitur vobis. Tanta igitur misericordia, benignitate & pietate pauperes Christi, immò in pauperibus ipsum Christum complectebatur, ut nullum vnquam hospitem & peregrinum absque aliquo solario à se discedere pateretur, & ad recreandos egenos quotidianas expensas absque intermissione fieri iuberet. Iam verò etiam nocturnis horis multa alacritate & hilaritate abluibat fidelium pedes, & in sinu pauperum abscondebat eleemosynas, Christum in opem in mēbris eius consolari in hac vita cupiens, vt cum illo quandoquē in illa caelesti domo, bonis omnibus refertissima, aeternam exultare mereretur.

Cap. 14. Quadam autem nocte, diuino permotus instinctu, nemine sciante, crumenā nummis plenam accipiens, pusillum Christi gregem suo more solus inuasisit. Et ecce pauperes caelestis thesauri distribuendae pecuniae nimium inhiantes, beati viri barbā euulserunt, ea improbitate illius meritis testimonium perhibentes. At ille gaudio perfusus ingenti, ad beatissimam creatoris omnium matrem se confert: humi prostratus, gratias agens, exclamat: Regina caelestis & mea, en quem tu Regem constituisti, cum sic honorarunt milites tui. Quae si mihi ab aliquo hoste illata esset iniuria, tuo fretus adiutorio, non sinerem eam inultam abire. At nunc sciens hinc mihi parari aeternam felicitatem, impensè lætor, gratias agens illis pijsissimi Saluatoris consolatorijs verbis, quibus discipulos suos confirmauit, Capillus, inquit, de capite vestro non peribit.

Luc. 21. His dictis, cum se vir Dei caelesti gratia & spiritali charismate perfusus sentiret, statuit nunquam pectoris sui ostia opem poscētibus claudere: atque deinceps per seipsum & alios, præcipuè tamen Christi seruos & familiares, nempe Clericos & monachos, calitūs sibi datas facultates pauperibus impertijt, in aeternis thesauris per illorū manus reponendas. Eius rei permulti sunt testes, atque in ijs beatus Guntherus, ex-

B. Guntherus cremita. seculari nobilitate conuersus, & cremita atque monachus effectus, cum illo nunc vitæ beatæ particeps. Is humanissimi Regis tanta liberalitate illectus, è Boëmiæ regione crebrò ad illum venire solebat. Quotiès autē sua præsentia eius aulam illustraret, curam regni ei demandabat Rex. Tum ille rebus, quas in aula inuenisset, in peregrinos, egenos, viduas, pupillos, cœnobia & ecclesias erogatis, breuè illam exinaniebat. Ad eius quoque nuntium Rex Deo deuotus monasterium, quod Beel vocant, inchoauit, bonis omnibus illud locupletans: in quo Gerardus monachus, qui Venetijs eò venerat, vitam duxit contemplationi addictam: & postea diuina ordinatione creatus Episcopus. post obitum sancti Regis, orta Christianorum persecutione, lapidibus oppressus, diuino munere, martyrum contubernio dignus effectus est. Nec hic prætermittendum putò, quòd diuina virtus in beati viri vita demonstrare voluit, cuius meriti esset. Nam quotiès ad aures eius peruenisset, quempiam aduersa laborare valetudine, medicinæ loco misit ei siue panis, siue pomi, vel herbæ odoriferæ particulam, simul mandans, vt sanusurgeret. Mox verò, diuinæ misericordiæ fauore eius sermonem prosequente, incolumis ille efficiebatur.

Cap. 15. Post gloriosam in caelos ascensionem, & mirabilem in paterna dextra confessum, Saluator noster paucis corporaliter apparuisse legitur: per visionem autem multos consolans, de rebus futuris eos fecit certiores. Idem verò præstitit etiam huic sancto Regi. Quadam enim nocte ex reuelatione experrectus, veredarium quendam intra diem & noctem iussit properè ire ad Albam Transsylvaniæ, & omnes ruricolos, vt ad vrbes munitas celerrimè se conferant, admonere, quòd superuenturi essent Christianorum hostes Bessi, (qui tum Hungaris insens & infesti erant) eorumque res deprædaturi. Vix nuntius compleuerat, quæ iussus erat: & ecce Bessorum inopinata incursio & impetus, incendijs & rapinis depopulatur omnia, corporibus hominum illasis, quòd ex beati viri præmonitione in tutiora loca se recepissent.

Cap. 16. Defuncto autem beati Regis amico, Romanorum Imperatore Henrico, Conradus ei in imperio successit. Is pacis tranquillitate interturbata, totius Germaniæ viribus & copijs contractis, Pannoniæ infesta signa inferre conatus est. Tum verò Rex Stephanus, Episcoporum & principum coacto conuentu, in patriæ defensionem totius Hungariæ exercitum euocauit. At prius tamen secum perpendens, se nihil posse sine Christi adiutorio, manibus & corde sursùm erectis, Domini suæ, perpetuæ

Math. 5.
Luc. 6.
Benignitas
eius in egenos.

Cap. 14.
Magnā in-
iuriam fert
hilariter.

Luc. 21.

B. Guntherus
cremita.

S. Gerardus
monachus,
Episcopus
& Martyr.

Multos sa-
nat agros.

Cap. 15.

Hæc Alba
Iulia dicitur.
Bessorū ad-
uentū præ-
dicit rex.

Cap. 16.

tuz Virgini & Dei genitrici, suas iniurias commendans, in eiusmodi prorupit voces: Si placet tibi, Domina mundi, tuam partem hereditatis ab inimicis deuastari, & nouellam Christianismi plantationem dissipari: ne, quaeso, sinas illud imputari diffidentiae meae, sed potius dispositioni voluntatis tuae. Si quid commiserit culpa pastoris, ipse iurat: oues, quaeso, insontes ne patiaris affligi. His dictis, tanquam accepta consolatione ab ea, fidei ter mouit in hostes. Altera die nuncius venit ad singulos quosque duces exercitus Germanorum, ab Imperatore literas adferens, quibus iubebatur pedem retro referre. Illis ergo discedentibus, sanctus Rex diuina misericordia adiutum se sentiens, humi se abijcit, gratiasque agit Deo & sanctissimae genitrici eius, cuius protectioni seque regnumque suum assiduis precibus commendare solebat. At Imperator suorum tam repentina defectione perterritus, sciscitatur quidnam rei ipsis accidisset: audiensque de nuncio, qui eos ipsius nomine redire iussisset, sciensque illum a se haudquaquam missum fuisse, non dubitauit consilio & voluntate omnipotentis Dei rem gestam ob fidelissimi Regis corroborandam spem: seque deinceps ab eius inuadendo regno, timore illius iudicis aeterni, cohibuit.

Precibus auertit à se immane bellum.

Porro Rex piissimus, erga regni sui politicam gubernationem religiosa sollicitudine occupatus, diurnum tempus colloquijs & consultationibus impendebat, nocturnis horis in vigilijs, preces, lachrymas, rerum diuinarum contemplationem incumberebat. orans sedulo iustum iudicem, ut ipse sua moderatione quotidie discutiendis rebus & ferendis sententijs adesse dignaretur. Quod quidem cum ille magno spiritalis desiderij studio frequentareret, nocte quadam procul à templo Dei, (descenderat quippe cum illo suo magno & nobili comitatu) in loco campestri fixis tentorijs, in cordis sui cubiculum se recepit: & flexis genibus, solo laborum motu, ad sempiternae misericordiae fores gemitibus & lachrymis pulsabat. Cumque diutius precibus inhaereret, Domini sui Regis aeterni ministris ad suscipiendas preces eius aduenientibus, papilio super eum extensus, à terra sublatus est: atque tandiu in aere mansit suspensus, donec vir Dei ad se reuersus ab illa contemplatione, spiritum à precibus relaxauit. Quod licet inuisibiliter illi soli, qui res nouit ante, quam fiant, & secretorum eius conscijs Angelis esset cognitum: at tamen etiam cuidam magnae simplicitatis & innocetiae viro, qui tunc fortassis simili erat operi intentus, innotuit. Quem Rex, Dei spiritu id reuelante, arcani sui conscium sciens, ad se accersitum blandis primùm verbis appellat: rogar, quidnam viderit. Deinde seueriter interdicit, ne cui id, dum ipse sit in humanis, reuelet.

Cap. 17.

Eius tentorium ab Angelis in aere iubleuatur.

Fama nominis eius in multas gentes diuulgata, & iudicij oris eius cum multa laude ubique propalata, sexaginta Bessi, quorum supra meminimus, cum vniuerso apparatu suo, auri argenti que copia, & multiuarijs ornamentis curribus onustis, è finibus suis egressi, ad Regem venire volebant. Cumque ad Pannoniae fines accessissent, multi è seruis, quorum animi instar cerae facile flectuntur in vitium, malignitatis suae facibus inflammati, ijs exire obuiam: & quosdam gladijs cadentes, illorum res omnes abstulerunt, eosque vacuos & semineces reliquerunt. At illi ea, quae passi erant, ad Regem relaturi, coepto pergunt itinere: cumque in Regis conspectus venissent, ad eius genua prouoluuntur. Rex ijs visis, percontatur quid mali perpessi sint. Tum illi: Nos, inquit, serui tui, domine Rex, nihil cuiquam mali machinantes, ad te properebamus, audiri iudiciorum tuorum disciplinam. Quidam autem in nos incurrentes, pecuniam omnem, quam apud nos habebamus, nulla culpa nostra abstulere: atque insuper quosdam apprehensos è nobis ceciderunt. Denique vix compotes vitae huc accessimus, ut eam rem tibi indicaremus. Rex ijs auditis, ut erat prudens, neque

Cap. 18.

Prudentia eius eximia. Prou. 29.

Seueritas eius in homines malignos.

sum, ita ut nemo ausus esset quenquam ex ijs ledere aut molestiam ei exhibere. Quod etiam sua autoritate consecutus est, quando illo viuente nullus quencunque hospitem in aliquo violare ausus fuit.

Cap. 19.
Act. 14.

Prou. 3.

Eius multae
afflictiones

Libellus eius
de morum
disciplina.

Emericus fi-
lius eius san-
ctus obit.

Prou. 21.

Munificen-
tia Stephani
regis.

Morum gra-
uitas.
Prou. 14.

Christum
semper ge-
rit in corde
suo.

Cap. 20.
Quatuor
vici prima-
rij in eius
necem con-
spirant.

Nec tamen beatus & pius Rex immunis fuit ab eo, quod Apostolus dicit, Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei: & quod habetur in Proverbijs Salomonis: Quem diligit Dominus, corripit, & quasi pater in filio complacet sibi. Multis enim modis castigauit eum Dominus. Tribus annis perpetuo laborauit aduersa valetudine. Qua cum tandem diuinae misericordiae medicina esset liberatus, in obitu filiorum suorum, quos adhuc infantes mors rapuit, aeterni iudicis flagella percussit. At tamen dolorem, ex ea orbitate conceptum, amore filij superstitis, bonae indolis pueri Emerici temperauit: quem sane ceu vnicum impensius amans, quotidianis precibus Christo & eius genitrici, Virgini perpetuae commendabat, cumque sibi superstitem, & regni haereditatem votis omnibus expetebat. Et ut idoneus ille foret tanti regni tenendis gubernaculis, Catholicorum virorum doctrinis quotidiana lectionis usum, & utraque tam animi, quam corporis aures, cum voluit adhibere: atque insuper paterni amoris impulsus stimulis, libellum ei composuit de morum institutione, in quo illud verbis spiritualis adhortationis fideliter & accurate compellat docens eum, quemadmodum ante omnia debeatur retinere Catholicam fidem, confirmare statum Ecclesiasticum, honorem habere praesulum dignitati, principes & milites amare, iudicij tenax esse, in cunctis suis actibus studere patientiae, hospites benigne recipere, benignius alere & fouere, sine consilio nihil agere, Maiores suos semper ob oculos exemplum sibi statuere, precibus crebro vacare, pietatem & misericordiam ceterasque virtutes colere & conlectari. His & id genus alijs disciplinis praclarus ille iuuenis imbutus, ex diuinae voluntatis moderatione, cui omnia parere necessesse est, Dominicae incarnationis anno millesimo tricesimo, vitam hanc corruptibilem cum sempiterna commutauit, supernorum ciuium choris adiunctus. Eius animam ea ipsa hora, qua decessit, cuidam Graecorum Episcopo, sanctae conuersationis viro, diuinitus reuelatum est, Angelicis manibus in caelos deportari. Cum autem pro sanctitatis suae meritis summe ab omnibus diligeretur, omnium extitit luctus ingens, imprimis vero principum: inter quos pater, tanto accepto orbitatis vulnere, grauiter suspirabat, & pietatis affectu ductus, dolebat se omni posteritatis spe destitutum. At tamen sciens scriptum esse, Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum: & illud in Canonibus, Neminem propter obitum charorum nimium debere contristari: posito animi moerore, totum se contulit ad largam Dei misericordiam promerendam. Coenobiorum enim & ecclesiarum ministris, monachis & Clericis multa elargitus est, multamque ea beneficentia attulit consolationem: quicquid vero ei superfluit, peregrinis, viduis & orphanis erogauit. Exterarum quoque prouinciarum monasterijs regiae munificentiae dona innumera per nuncios suos crebro misit. Eam, quam in iuuentute susceperat, morum grauitatem ad supremum usque vitae diem praese tulit. Vix vnquam ridere visus est, sciens scriptum, Rius dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat: semper ita se comparans, acsi stare ad tribunal Christi, eius praesentiam oculis interioribus sereno vultu contemplant. Christum in ore, Christum in corde, Christum in cunctis actibus suis circumferebat. Extremum vitae diem semper ob oculos mentis habebat, & magno cordis desiderio ad illam supernorum ciuium frequentiam adspirabat, quandam Angelicae conuersationis habitum praese ferens. Denique cunctis ornatus virtutibus, in sanctitate & iustitia coram Deo omnibus diebus vitae suae viuere constituerat, ut in eo iam quaedam futurae gloriae species elucere videretur.

Nec diu post in morbum incidit, qui ei postea mortem attulit: diuturna quoque eius morbi molestia crescente, pedibus insistere non potuit. Quod ubi aduerterunt ex Palatinis nobilissimi quatuor, scilicet Regem diu grauiterque laborantem, cum etiam numerum cordis perfidia tenerentur, iniquum inter se consilium iniierunt, ut eum in medio tollerent. Iam die aduesperascente, antequam in domo Regis lucerna accenderetur, vnus ex ijs audacior, caelo obscuro ingressus est, nudum enses sub chlamyde ferens, quo erat Regem pijssimum iugulaturus. Sed cum eo inferret pedem, ubi Rex quiescebat, caelesti reuera impulsu gladius ei excidit, & inter cadendum tinnitum quendam edidit: quem Rex statim sentiens, quid is sibi vellent, perquisiuit, cum iam diuinitus praesciret. Tum ille territus corruit, agnoscit consilium amentia plenum, de-

let,

let, accedit propius, procumbit in genua, Regis pedes amplexatur, se peccasse confiteretur, petit tanti parricidij veniam. Rex pius ab eo faciem non auertit, propenso animo ignoscit. At verò iubet inquiri illos immanes parricidas: in reposito tanto sceleris congruentem mortis profert sententiam.

Dignus tandem, qui centuplex caelestis regni brauium consequeretur, febre correptus est: sentiensque adesse migrationis tempus, accersitis Episcopis & primoribus palatij, Christiano nomine gloriantibus, primùm tractauit cum eis de substituendo sibi Rege. Deinde paternè monuit eos, seruare Catholicam fidem, quam acceperant, amare iustitiam, fraternæ charitati studere, humilitati dare operam, ante omnia vero nouellæ Christianismi plârationi curam & sollicitudinem adhibere. His dictis, manus & oculos in cælum erigens, Regina cæli, inquit, mundi inclita reparatrix, tuo patrocinio sanctam Ecclesiam cum Clero & Episcopis, regnumque cum primatibus & populo tuis precibus commendo: quibus ego nunc vltimum vale dicens, animam quoque meam tuis manibus committo. Instabat tunc præcipua solennitas, celebris Angelis & hominibus Assumptionis beatissimæ Mariæ dies: in cuius gaudijs vt sui corporis fieret dissolutio, precibus à Domino contendit, lachrymis & gemitibus impetravit, sperans cumulatoris misericordiæ se spem habiturum. Aderat ergò felix ille dies, eius obitu mox felicitatis aliquam accessionem habiturus, circūstabant cum Clero Episcopi, cum ministris Principes & Comites. Rex in medio iacens, sacram percepit Vnctionem, sanctamque animam, corporis & sanguinis Christi recreatam viatico, anno Dominicæ incarnationis millesimo tricesimo quarto, in manus perpetuæ Virginis & sanctorum Angelorum, æternæ quietis beatitudini inferendam, tradidit.

Exiit mox planctus sanctorum haud vulgaris, Angelis latantibus: sed planctus ille postea mutatus est in gaudium perenne tam præsentium, quam futurorum populorum. Ad exequias eius ex omnibus Pannoniæ plagis concursus est, corpus ad urbem regiam, putà Albam, perductum: sed cum ecclesia beatissimæ Virginis ab eo constructa, necdum consecrata esset, communicato inter se consilio, prius Episcopi statuunt sanctificandam basilicam, postea in ea corpus humanandum. Absoluta igitur dedicationis solennitate, sacrum corpus in media ad sarcophago è candido marmore confecto impositum est, vbi compluribus annis ob eius merita Dominus permultis malè habentibus, febribus vexatis, afflictionem & miseriam suam farentibus, innumera præstitit beneficia. Sæpè quoque illic noctibus Angelicæ melodiæ audita sunt à multis, sæpè odoris suauissimi fragrantia per templum sese diffudit.

Iacuit in eo loco sacrum corpus annis quadragintaquinque, occulta quadam omnipotentis Dei dispositione, qui est mirabilis in sanctis suis, marmoris pondere pressum, & in puluerem redactum, vt tempore præfinito dignius declararetur, & in resurrectionis die gloriosus renouetur. Id verò quid significet, quando sine diuina ordinatione & diuino affectu factum minimè putamus, libet oculis interioribus speculari. Fortassis non nihil terreni pulueris, diuinæ examinationis igne purgandum, in illo remanserit, sine quo Reges, magna potentia fulti, vitam præsentem vix, aut ne vix quidem transigere possunt. Illis ergò euolutis annis quinque & quadraginta, cum ad præstantia per eum mortalibus suæ misericordiæ beneficia, sancti sui iam vellet Deus merita declarare, Romani Pontificis literis mandatum fuit, vt eorum corpora eleuarentur, qui in Pannonia Christianæ fidei semina iecissent, & sua vel prædicatione, vel institutione ad Dominum eam conuertissent. Itaque Ladislaus Rex, qui tum ad Reipublicæ gubernacula sedebat, omni morum honestate conspicuus, & virtutibus illustris, diuino cultui & laudibus Dei totus addictus, sancto illum spiritu permouente, communicato cum Episcopis & proceribus, totiusque regni sapientibus viris consilio, tri-duanum cunctis ieiunium indixit: vt quod communi Catholicorum vtilitati, spiritus sancti muneribus, animarum & corporum salutem efficientibus, profuturum videretur, id communi omnium deprecatione, ieiunijs & eleemosynis fulcita, per signorum manifestationem ex peteretur. Sed vt ostenderet Dominus, quanta misericordia Rex adhuc manens in corpore, præditus fuerit, quam etiam iam cum Christo regnans præ cæteris operibus se approbare declararet, cum triduo totis viribus in id incumbere, vt eius sacrum corpus eleuarent, nulla id arte loco mouere potuerunt. Eo nanque tempore ob hominum culpas inter eum, quem diximus, Ladislaum Regem & fratrem eius Salomonem, gravis fuit orta similtas & seditio, cuius nomine captus Salomon, custodia tenebatur. Dum ergò in corpore eleuando frumta fu-

Vni eorum
venia orant
ti ignoscit
Rex.

Cap. 21.

Sub mortē
accipit ex-
tremā Vn-
ctionem &
Eucharistiā

Cap. 22.

Multa mi-
racula post
eius obitū.

Cap. 23.

Mandatur
eius corpus
& aliorum
sanctorum
eleuari.

Is S. Ladi-
slaus, fuit 7.
Hungariæ
Rex.

Non potest
moueri sa-
crum Regis
corpus.

darent, quædam inclusa apud ecclesiam sancti Saluatoris, (Charitas ea dicebatur) cuius vitæ tum erat celebris opinio, ex diuina reuelatione mandauit Regi, conatus eorum omnes irritos & inanes fore, nec posse transferri sancti Regis corpus, donec Salomon venia impetrata, liber è custodia dimitteretur. Illo igitur è carcere educto, & rursus triduo exacto ieiunio, cum ad sacras transferendas reliquias tertio die ventum est, grande saxum sarcophago impositum, tanta facilitate sublatum est, ac si nihil ponderis haberet. Absoluto autem eius diei vespertino officio, cunctis diuinæ benignitatis beneficia per beati viri merita præstolantibus, subito Christo plebem suam visitante, per sanctæ ædis amplitudinem cælitus miracula conuulsant. Quorû multitudo quoniam ea nocte numerum excessit, liber hîc illud ex Euægelio dicere, quod Saluator Iohanni, per nuncios sciscitanti, an ipse esset, qui venturus sit, voluit responderi: Cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt, leprosi mundantur, mali corriguntur, paralytici curantur. Sed tamen, quando omnia non possumus, quædam ex eis annotabimus.

Cap. 24.
Paralyticus
reualescit.

Iuuenis quidam, membris omnibus dissolutus, duodecim annis mansit paralyticus, manuum & pedum officio destitutus. Is parentum opera eò perductus, totius corporis est incolumitate potitus, atque ad altare currens alacriter, omnium Christi laudes promentium gaudia cumulauit. Fuit hoc eius noctis primum miraculum.

Cap. 25.

Contractus
puer sanatur.

Alius septennis puer, ab ipso ortu contractus, genibus & manibus reptabat. Eum patres plena fide ad beati Regis sepulcrum adducunt, illicq; prostrati, eius suffragia implorant. Mox voto potiti suo, mirantur contractos neruos in filij corpore laxari. Vident omnes eum solidatis plantis & genibus ambulantem, & Christi nomen in beati viri meritis laudabili clamore concelebrant. Porro Rex pius, præ nimio gaudio lachrymans, puerum è terra leuatum ad altare adfert, & in Dei laudes erumpens, pro tanto beneficio, illi puero collato, cum omnibus qui aderant, profusè gratias agit. Ità totam noctem illam Deus, pro famuli sui veneratione, multorum splendore signorum mirificè illustrauit: & populus, vigilijs & precibus vacans, singula miracula laudis & prædicationis vocibus profèqui non cessauit.

Cap. 26.

Nota miracula etiam
in absentibus.

His verò illud quoque adiungendum videretur, non solum illic præsentibus, sed etiam procul positos, eius suffragantibus meritis, celèrem salutis effectum adeptos esse. Cum enim eius eleuandi fama passim increbuisse, varijs afflictis morbis, ex cunctis Pannoniæ finibus, quo quisque poterat modo, ad sanctum eius tumulum properarunt. Sed cum alijs præcedentibus, alij maiori morbo retardati, simul eò pertinere non possent, eadem tamen misericordia innumeri in ipso itinere sanati sunt. Quamobrem etiam ob perpetuam benefici Regis conseruandam, & ad posteròs propagandam memoriam, complures eius meritis salutem adepti, in ijs ipsis, quibus curati sunt, itineris sui locis grandes lapidum acervos effecerunt, qui postea longo illic tempore permanerunt. Sed & mulier quædam exanime corpus vnici filij sui, qui interim spiritum exhalarat, apud sancti Regis sepulcrum deposuit, Dei & sancti eius opem imploratura. Mira quidem res, & nostris temporibus stupenda: non prius femina orare destitit, quàm viuentem cerneret filium suum.

Cap. 27.

Miri quidam de eius
sarcophago.

Manè diei, ab Assumptione beatissimæ Virginis quinti, conuenientibus in ecclesiam cum Rege principibus, cum Clero Episcopis, primum Missa pro defunctis celebrata est: deinde sublata tabula marmorea, quæ erat pauimèto eminentior. Postquam autem ad sarcophagum peruentum est, tanta inde suauiissimi odoris fragrantia in omnium nares dimanauit, vt sibi in paradysum deliciarum Dei rapti viderentur. Ipse verò sarcophagus plenus fuit aqua aliquantum subrufa, & quasi oleo permixta, atque in ea, perinde atque balsami liquore, ossa preciosa quieuerunt. Quibus in mundissimum linteamen collectis, in ipso liquore diutissime quæsièrunt annulum, sancti Regis dexteræ insertum. Sed cum non inueniretur, iussu Regis aqua illa in argentea vasa effusa est, vt posset annulus certius reperiri. Sed modo sanè admirabili factum est, vt quo plus exhauriretur aqua, eo magis sarcophagus impleretur. Id vbi animaduersum est miraculi, aquam haustam suo restituere loco: nec tamen, ea accedente, sarcophagus magis abundare visus est. Tum verò cooperito sepulcro, laudes & gratias egerunt diuinæ pietati. Porro interim dum ex inuento thesauro reparant beatissimæ matris Dei & perpetuæ Virginis altare, Deus, qui est mirabilis in sanctis suis, profusis benignitatis suæ muneribus & euidentibus miraculorum signis se præsentem declarauit, intantum, vt tempus illud, quo Saluator vixit inter homines, rediisse videretur,

tur,

tur, de quo scriptura diuina ait : Omnes, qui habebant infirmos varijs languoribus, ducebant illos ad Iesum, & curabantur. Hæc verò omnia virtus diuina, non solum illo die, sed postea quoque longo tempore ob merita serui sui effecit, ita vt etiam ab exteris regionibus, cognita beati viri fama, salutis recuperandæ causâ permulti, varijs affecti morbis, ad sancti Regis imploranda suffragia cupidissime aduolarent.

Comitissa Mathildis, eximiæ nobilitatis matrona, tribus annis perpetuo viscerum dolore laborans, iam mortui proxima videbatur. A suis verò ad monumentum beati Regis allata, vbi illud attingit, paulatim cœpit habere melius: breuique recuperata pristina valitudine, magnalia Dei per famuli eius merita in se renouata diulgauit. Alia miracula calitûs perpetrata non idcirco prætermisi, quòd ea fastidiam : sed cum non mihi vni pluat Dominus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos : tantam beneficiorum eius copiam, omnium vtilitati consulere cupiens, innumeris sapientibus viris, quos Hungaria fouet & complectitur, stylo prosequendam relinquo.

Illud solum sub libelli finem adijcere libet, miro diuinæ benignitatis munere, diu quesitum & minimè reperiuntur annulum, cum ipsius beati regis dextera, post eius peractam translationem, inuentum esse. Nam monachus quidam, Mercurius nomine, (qui cum esset Clericus, thesauri beatissimæ semperque Virginis Mariæ custos fuerat, & iam amore cælestis patriæ seculo ualefecerat) ea hora, qua sancti Regis tumulus apertus fuit, nè quid sacrarum reliquiarum ad se raperet, obiurgatione Regis procul indè remotus fuit. Sedenti igitur in Choro tristi vultu, iuuenis quidam candido amictus habitu, pannum inuolutum tradidit, ita dicens : Hunc pannum tibi seruandum commendo, opportuno tempore in lucem proferendum. Sacro indè expleto ministerio, monachus in quodam angulo domûs explicat pannum, integramque pij Regis manum cum annulo mirifici operis cernens, expauescit, nulloque conscio, ad monasterium suum, cui præfectus erat, ea absportat, tempus à iuvene ipsi memoratum præstolaturus. Et diu sanè thesauri illius in agro absconditi solus ipse custos peruigil fuit. Deindè monasterij eius fundatoribus rem aperuit. Postremò, appropinquante iam tempore, quo erat arcanum illud in publicum efferendum, ad Regis quoque notitiam perduxit. Is verò mox accitis Episcopis, & Hungariæ primarijs viris, cum multa interem Christum miraculorum beneficia exhiberet, celebrem præfixit diem beati Regis dextera eleuandæ. Sed quid sibi vult, fratres mei, quòd cæteris membris resolutis, & carne in puluerem redacta, solam dextram manum cum eius cute, ossibus & neruis, Deus integram conseruauit : Equidem sic sentio, diuini consilij altitudinem id hæc demonstrare voluisse, eleemosynæ studium omnes virtutum gradus transcendere. Quamobrè etiam in Euangelio Dominus ait : Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. itemque : Date, & dabitur vobis. & alio loco scripturæ diuinæ : Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosynæ resistit peccatis. Meritò igitur sancti Regis dextera, corruptionis mansit expers, quæ semper misericordiæ floribus reuiuiscens, ad alendos pauperes nunquam muneribus distribuendis vacua fuit. Nanque pijsissimus Rex opem tulit calamitosi & indigis, liberauit oppressos captiuitatis iugo, vestes & hospitalitatis officia impendit peregrinis, viduarum & pupillarum miseriam & inopiam, suam purauit. Mandatum Saluatoris de lauandis aliorum pedibus, quotidie impleuit, pauperum pedes abluens : eleemosynas præstitit non ex rapinis aut aliorum damnis, sed de suis facultatibus. Vt domos Dei locupletaret, sibi ipsi interdixit habendi voluntatem. Denique omnibus pro dignitate prodesse cupiens, carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixit. Indè est ergò profecta corporis & dextræ manûs eius admiranda & iucunda veneratio : indè suaui & beata sempiternæ vitæ retributio : indè opratissima supernorum ciuium cohabitatio : Vbi cunctos illustrat semper lucens, nec vnquam deficiens splendor vnus summæque diuinitatis, patris & filij & spiritus sancti per infinita secula seculorum, Amen.

Luc 4.

Cap 28.
Mathildis
Comitissa
fit sana.

Math. 5.

Cap. 29.

Dextera S.
Stephani
traditur
Mercurio
monacho
seruata ab
Angelo.Dextra sancti regis manus, plurimis annis mansit incorrupta.
Math. 5.
Luc. 6.
Eccles. 3.

Dextera manus eius eleemosynarum largitrix.

Iohan. 13.